


Quæstio hæc est hinc translata in tertium sententiarum. & eam tractant. Divus Th. 3. p. q. 3. a. 3. & in 3. d. 1. q. 2. a. 3. Scot. ibid. q. 3. cum suis. Durand. ibid. Suar. 3. p. t. 1. d. 13. a. 3. & alij.

Aegidius verò hic propositis rationibus ex quibus probari posset impossibilitas facti, eas ostendit non obstare, quo minus hoc filio Dei concedatur. Vnde concludit ut infra.



TERTIO quærebatur de Deo, quantum ad naturam assumptam: utrum Dei filius posset aliam naturam humanam numero assumere in unitatem suppositi, non deponendo naturam, quam habet?

ET ARGVEBATVR quod non. quia, ut dicebatur, duo accidentia solo numero diversa non possunt esse in eodem subiecto: ergo nec duæ naturæ solo numero differentes esse poterunt in eodem supposito.

CONTRA, **PROPTER** assumptionem humanæ naturæ in nullo est diminuta divina potentia: ergo sicut ante assumptionem humanæ naturæ Dei filius humanam naturam assumere, ita & post assumptionem potest aliam huiusmodi naturam assumere.

RESOLVTIO.

Cum suppositum filij divini non habeat esse limitatum, neque constituatur in esse per naturam humanam, neque hæc naturaliter ab eo fluat, neque per illud individuetur: filius Dei potest assumere aliam naturam humanam, non deponendo priorem, in unitatem suppositi.

RESPONDEO, dicendum, quod Dei filius, absque eo, quod deponat naturam humanam, quam habet, possit aliam naturam humanam assumere: possunt enim in divino supposito plures naturæ sustentari solo numero differentes imò non solum unam aliam naturam, sed & multas alias & alias naturas posset Dei filius, si vellet,

assumere in unitatem sui suppositi.

Ad cuius evidentiam sciendum, quod ex quatuor colligere possimus, quod in uno supposito non possint sustentari plures naturæ solo numero differentes: primò quidem hoc contingeret, si illud suppositum haberet esse limitatum in huiusmodi natura. Secundo si huiusmodi suppositum constituatur in esse per huiusmodi naturam. Tertio si ab illo supposito naturaliter fluat talis natura. Quarto si in illo supposito habeat individuari illa natura.

PRIMUM SIC patet; nam si suppositum aliquod habet esse limitatum in aliqua natura, tunc illud suppositum non potest supplere vicem cuiuslibet suppositi in illa natura; si enim posset supplere vices alicujus suppositi in illa natura non haberet esse limitatum secundum huiusmodi naturam; nam natura, quantum est de se, est multiplex in infinitum: nō enim unum suppositum posset sustentare duas naturas humanas, nisi illud suppositum posset supplere vicem duorum suppositorum: duæ enim naturæ humanæ habent sustentari in duobus suppositis: propter quod si suppositum posset sustentare duas naturas humanas, illud haberet vim duorum suppositorum in huiusmodi natura: quod non haberet limitatum esse in tali natura: quia quodlibet suppositum creatum habet limitatum esse secundum suam naturam: & inde est, quod in uno huiusmodi supposito non possit sustentari nisi una natura loquendo de natura substantiali: in quolibet enim supposito creato non sustentatur nisi una substantialis natura, vel si sustententur ibi plures tales naturæ oportet, quod illæ plures naturæ constituent unam naturam; sicut in supposito humano sustentatur anima & corpus, quæ constituunt unam naturam, quam vocamus naturam humanam, sive humanitatem, quod totum sequitur ex eo, quod quodlibet suppositum creatum habeat limitatum esse in sua natura, ut non sit nisi unum in una natura.

Et hæc ratio concludit, quod non solum in uno supposito creato non possint esse plures naturæ substantiales differentes solo numero, sed etiam

ob 4. rationes non potest unum suppositum duas naturas assumere:

x. quia habet esse limitatum

etiam, quod non possint ibi esse plures tales naturæ differentes specie vel etiam genere: in uno enim & eodem supposito creato non solum non possent esse duæ naturæ, quarum quælibet esset natura humana: sed etiam non possent esse ibi plures naturæ, quarum una esset bestialis, & alia rationalis; ut quod unum & idem suppositum esset homo & equus: vel quarum una esset rationalis alia intellectualis; ut quod unum & idem suppositum esset homo & Angelus: ut dicamus homines esse rationales, Angelos vero intellectuales. Et quod dictum est de præfatis naturis: veritatem habet de quibusvis alijs naturis; non enim esset possibile quod unum & idem suppositum esset equus & Angelus, vel lapis & homo, vel quæcumque aliæ duæ naturæ, loquendo de specialibus naturis.

2. si constituitur in esse per tale naturam.

SECUNDO MODO hoc contingit, quod in uno supposito non possint sustentari duæ naturæ, si huiusmodi suppositum sit constitutum in esse per naturam: nam quando natura constituit suppositum, secundum aliam & aliam naturam constituitur aliud & aliud suppositum; non enim potest esse, quod in eodem supposito sint duæ naturæ, quarum quælibet constituat suppositum: quia si quælibet illarum naturarum constitueret suppositum, ex quo ponerentur esse duæ naturæ, sequeretur quod essent duo supposita: nisi fortè, si ponerentur duæ naturæ in eodem supposito, quarum quælibet faceret ad constitutionem suppositi, ita quod illæ duæ naturæ constituerent unam naturam; sicut dicebamus de supposito humano, quod constituitur in esse per animam & corpus: ubi quia ex talibus duabus naturis constituitur una natura, non est inconveniens, tales duas naturas, quia faciunt unam naturam, constituere unum suppositum. Propter quod nec eodem modo comparantur ad constitutionem suppositi. sed una naturarum illarum facit ad constitutionem suppositi materialiter, alia formaliter. Sed duas naturas, ex quibus non sit communem speciem accipere, vel, quod idem, est quibus

non constituatur una tertia natura, impossibile est sustentari in eodem supposito; ita quod quælibet sit constitutiva suppositi: quia ex quo illæ duæ naturæ non sunt aptæ naturæ facere unam naturam, non sunt aptæ naturæ ut constituent unum suppositum.

Quotiescumque ergo sunt duæ naturæ in uno supposito, ex quibus non resultat una tertia natura, impossibile est quod quælibet illarum sit constitutiva suppositi: sed una est constitutiva suppositi, alia vero sustentatur in supposito jam constituto: sicut videmus quod in eodem supposito sit natura substantialis & accidentalis: ex quibus duabus naturis non resultat tertia natura: propter quod impossibile est, quod quælibet illarum sit constitutiva suppositi: sed una illarum suppositum constituit, ut natura substantialis: alia vero sustentatur in supposito jam constituto, ut accidentalis. Et hæc etiam ratio arguit non solum de duabus naturis solo numero differentibus: sed etiam de quibuscumque naturis constituentibus suppositum, & non constituentibus tertiam naturam.

TERTIO MODO hoc contingit, si ab huiusmodi supposito naturaliter fluant huiusmodi naturæ. Et ratio specialiter arguit de pluralitate naturarum solo numero differentium: nam quæ naturaliter ab aliquo fluunt, quodam ordine fluunt: inter ea autem quæ sunt ejusdem speciei, ordo per se esse non potest. In eodem autem subiecto possunt esse plures naturæ specie vel genere differentes, quia inter talia potest esse per se & essentialis ordo, & una potest fluere mediante alia; ut in eodem subiecto est quantitas & qualitas, quia una fluit mediante alia: vel in eodem sunt plures qualitates diversæ & variæ; ut in eodem subiecto sunt qualitates primæ & secundæ; unde idem subiectum erit frigidum & album, quia in talibus unam ex alio oriri potest: duæ tamen qualitates, solo numero differentes, naturaliter in eodem subiecto esse non possunt.

3. si ab eo talis natura naturaliter fluat.

4 si hæc per illud inducitur.

QUARTO MODO hoc potest contingere,

contingere, quòd in eodem supposito non sint plures naturæ, si hujusmodi individuentur per suppositum. Et hæc etiam quarta ratio specialiter arguit de naturis solo numero differentibus: nam formæ aliqua, quæ individuantur per subjectum, ideo sunt aliæ & aliæ numero, quia sunt in alio & in alio subjecto numero: quæ igitur non sunt in alio & in alio subjecto numero non possunt differre solo numero. Ideo dicitur in 5. metaph. *quod quæ sunt in eodem subjecto, & differunt, quod differant specie.* Quod veritatem habet de his quæ individuantur per subjectum: quia talia non sunt diversa numero, nisi quia sunt in diversis subjectis numero.

NVLLO AVTEM istorum quatuor modorum possumus dicere filium Dei non potuisse aliam numero naturam humanam assumere: non enim hoc potest argui ex eo, quod illud suppositum habeat esse limitatum in tali natura, id est, in natura humana; ut quod non possit supplere vices quorumcumque suppositorum humanorum, vel quorumcumque suppositorum creatorum.

VNDE DICEMVS, quod sicut se habet natura ad naturam, sic se habeat suppositum ad suppositum. Sicut ergo se habet natura divina ad naturas creatas, sic se habebit suppositum divinum ad supposita creata. Sicut ergo natura divina potest supplere vicem quorumcumque naturarum creaturarum: quia quicquid potest natura divina cum causis secundis sive cum creatis naturis potest sine hujusmodi causis & naturis: sic suppositum divinum potest supplere vicem quorumcumque suppositorum creatorum: suppositum ergo divinum quamcumque naturam, vel quascumque naturas potest sustentare cum supposito vel suppositis creatis potest sine hujusmodi supposito vel suppositis. Sicut ergo natura divina non habet esse limitatum respectu naturarum creatarum, sed illa natura virtute & continentia est omnes naturæ, sic quodlibet suppositum divinum non habet limitatum esse respectu suppositorum creatorum: sed quodlibet tale suppositum virtute & continentia est omnia supposita creata: & quia assumere natu-

ram humanam in unitatem suppositi est sustentare naturam in seipso, & supplere vicem proprii suppositi; quia suppositum divinum, quodcumque sit illud, sive patris, sive filii, sive spiritus sancti, potest supplere vicem quorumcumque suppositorum creatorum, sive sint ejusdem speciei, sive diversarum specierum, sive etiam diversorum generum: quodlibet tale suppositum potest assumere plures naturas in unitatem suppositi, sive solo numero, sive etiam specie, vel etiam genere naturæ illæ sint differentes.

EX HOC ergo patere potest, quomodo humana natura assumpta sit à verbo? Nam illa natura, si non fuisset sic assumpta, constituisset proprium suppositum: nunc autem assumpta non constituit suppositum aliquod: sed sustentatur in supposito verbi jam in esse constituto. Cum ergo natura illa non constituat suppositum, sed sustentetur in supposito verbi; oportet quod suppositum verbi sustentando hujusmodi naturam suppleat vicem illius suppositi, quod constituisset hujusmodi natura, & in quo fuisset sustentata talis natura, si non fuisset assumpta à verbo, & quia, ut dictum est, suppositum verbi potest supplere vices quorumcumque & quorumcumque suppositorum; consequens est, quod hujusmodi suppositum possit assumere quascumque & quorumcumque naturas, eo modo, quo possunt assumi naturæ, si suppleantur vices suorum suppositorum. Hoc autem dicimus, quia ex jam dictis non concluditur quod suppositum divinum posset assumere naturam accidentalem sine substantiali: quia in hoc supposito divinum non suppleret vicem alicujus suppositi creati: quia nullum est suppositum creatum, in quo sit sola natura accidentalis. Vtrum autem hoc sit possibile, vel non possibile, quod divinum suppositum assumeret solam naturam accidentalem sine substantiali? Non est præsentis speculationis. Tamen, ut patet ex habitis, non concluditur, divinum suppositum posse assumere quascumque & quorumcumque naturas, nisi quatenus potest supplere vicem quorumcumque & quorumcumque suppositorum

rum creatorum, quia non habet limitationem respectu talium suppositorum.

SECUNDO HOC non potest argui ex eo, quod suppositum divinum constituatur in esse per talem naturam scilicet per naturam humanam: quia natura illa assumpta à verbo non constituit aliquod suppositum, sed sustentatur in supposito verbi: indeque est quod hujusmodi natura dicatur habere quasi modum accidentis, unde & Apostolus vocat eam *habitum sive indumentum*: juxta illud, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Sicut ergo accidens & indumentum non constituunt suppositum, sed adveniunt supposito jam constituto; Sic natura illa, licet non sit accidens, tamen habet quendam modum accidentis; quia non constituit suppositum, sed assumpta est à supposito jam constituto: inde est ergo quod *Damasce. libro 4. c. 32.* dicat *Hypostasim verbi incarnatam compositam esse ex deitate, quam semper habuit, & ex ea, quam assumpsit, carne* Quod totum intelligendum est, quia natura illa habet quendam modum accidentis, & sustentatur à supposito verbi: & ex hoc fit ibi quidam modus compositionis.

TERTIO HOC non potest argui ex eo, quod à supposito divino fluat naturaliter, talis natura: quia non naturaliter sed sola voluntate Dei sine ullis præcedentibus meritis natura illa assumpta est à verbo, & factum est, quod filius Dei in deitate esset filius hominis in humanitate. Vnde & *Glossa* exponens illud ad *Rom. primo* quod *prædestinatus est filius Dei*, dicit, *quod Christus, secundum quod homo prædestinatus est quia eius humanitas est prædestinata & præordinata, ut esset in ea homo ille, qui est filius Dei*.

QUARTO HOC non potest concludi ex eo quod natura illa individuetur in tali supposito: nam ipsum suppositum naturam individuat accepit, juxta illud *Damasce. libro 3. c. 11.* quod Dei filius non *Hipostasim* accepit, vel assumpsit, sed eam, quæ est in athomo, naturam: ipse ergo naturam in se athomam, sive individuatam assumpsit. In eodem ergo tali supposito possunt

esse plures numero humanæ naturæ, quarum quælibet sit Athoma & individua natura.

QVOD VERO obijciebatur in contrarium de duobus accidentibus in eodem subjecto: patet, quod non sit simile; quia inducitur pro simili quod accidentia individuentur per subjectum, vel naturaliter fluant à subjecto, unde non possunt esse plura solo numero differentia in eodem subjecto: sed non sic est natura assumpta à verbo, ut est per habita declaratum.

MEMBRVM III.

E T

DISPVATIO.

V N I C A.

De ente creato in Genere.



OSTEA quærebatur de ente creato, sive de creaturis: circa quas quærebatur dupliciter; scilicet generaliter & specialiter: generaliter quidem quærebantur de creaturis quatuor, secundum quod quatuor generaliter invenimus in naturis creatis: nam primò omnes hujusmodi naturæ sunt quid creatum. Secundò in omnibus talibus naturis invenimus aliqua, quæ se habent ut perfectibilia. Tertiò reperimus ibi aliqua, quæ se habent ut perfectiones. Quartò reperimus ibi mensuras rerum perfectarum.

Propter quod quatuor quærebantur de talibus creaturis. Primo quidem de de ipsa creatione, & erat quæstio; quid sit creatio? Vtrùm sit substantia: Vel accidens? Secundò quærebatur de ipsis perfectibilibus in comparatione ad suas perfectiones: & erat quæstio; utrùm plura & diversa perfectibilia genere possint perfici unâ & eâdem perfectione? Tertiò quærebatur de ipsis perfectionibus ut comparan-

Zz

tur

tur adinvicem : & erat quæstio; utrum perfectio accidentalis in aliquo subjecto esse possit sine perfectione, quæ est esse? Quartò quærebatur de ipsis mensuris rerum perfectarum : mensuræ autem rerum perfectarum, sive mensuræ ipsorum perfectibilium sunt ipsa instantia. Nam nunc, & instans mensurant ipsum perfectibile : mensura autem mensurat perfectionem illius perfectibilis; ut nunc temporis mensurat mobile, & tempus mensurat motum, qui est actus & perfectio ipsius mobilis, & nunc ævi mensurat æviternum: ævum mensurat esse ipsius æviterni, cuius est perfectio & actus. Erat ergo quæstio de ipso instanti, quod est mensura rerum perfectarum; utrum possit habere rationem diversorum signorum?

QVÆSTIO I.

QVODLIBETI IV.

Quid sit creatio? Vtrum sit substantia, vel accidens?

Hanc quæstionem tractat Ægidius in 2. d. 1. q. 1. 2. & de esse & essentia q. 7. Gregor. d. 1. q. 6. D. Th. 1. p. q. 45 a. 3. Henr. Gand. quodl. 11. q. 3. Nyse tr. 2. 1. p. q. 4. Aureor. 2. d. 1. a. 2. q. 2. Hurt. ph. q. 12. & Arriaga d. 9. scilicet 4.

Ægidius verò hic eam tractat iuxta ordinem initio textus positum:



AD PRIMVM sic procedebatur. Ostendebatur autem quod creatio non sit accidens: quia si esset accidens, potissimè esset relatio, quæ est accidens: sed relatio non est accidens, nisi quia fundatur in accidente: creatio autem fundatur in ipsa substantia: ergo non potest esse relatio quæ sit accidens: & per consequens non est accidens.

CONTRA, CREATIO actio non est nisi relatio in Deo: ergo creatio passio non est nisi relatio in creatura.

Cum creatio sit actio ipsius Dei transiens in materiam exteriorem sitque quedam esse factio & alia sit creatio actio, alia creatio passio; hæc vero sit in re creata, illa in creante, hæc ab illa dependeat, tamquam à se realiter, distincta: dicendum, est creationem proprie neque esse substantiam, neque accidens: sed communicationem ipsius esse; vel esse partim ipsum esse communicatum substantia creata, vel esse ipsius Dei intelligere aut velle.

RESPONDEO dicendum quod in hac quæstione sic procedemus: quia primò declarabimus, quid sit creatio? Quia hoc quærit quæstio. Secundo declarabimus, quomodo se habeat creatio actio ad creationem passionem? Quia hoc tangunt argumenta. Tertio ostendemus quomodo solvantur quæ faciunt difficultatem in proposito? ut evitentur argumenta facienda. Bene enim solvens debet ad quæstionem satisfacere: & debet argumenta facta solvere: & debet argumentis faciendis, vel fieri possibilibus obviare.

PROPTER PRIMVM sciendum quod creatio sit actio ipsius Dei & sit actio transiens in materiam exteriorem: quia per huiusmodi actionem constituitur aliquid aliud à Deo: quotiescumque enim per actionem agentis constituitur aliquid aliud ab agente, illa actio, secundum quod huiusmodi, dicitur non manere in agente, sed transire in aliam exteriorem substantiam, quæ per actionem huiusmodi constituitur ab agente; sive constituitur simpliciter, sive in esse tali: creatio ergo, quæ est transiens ipsius Dei, non differt ab actionibus transeuntibus aliorum agentium per hoc quod actiones illæ recipiantur in exteriori substantia, & actio illa Dei non recipiatur in huiusmodi substantia exteriori: sed differt huiusmodi actio ab actionibus alijs, quia actiones illæ sic recipiuntur in exteriori substantia, quod præsupponant substantiam exteriorem: & sim-

Tria declaranda.

1. quod creatio sit actio ipsius Dei, & transiens in materiam exteriorem.

quomodo hæc differat ab alijs actionibus? & quomodo conveniat.

& simpliciter & absolute loquendo, non simul producat illa substantia exterior; cum tamen hujusmodi actio Dei, quæ est creatio, sic recipiatur in exteriori substantia, quod simul cum hujusmodi actione producat ipsa substantia exterior, in qua recipitur actio talis. Ideo ergo actio ista Dei dicitur esse ex nihilo, quia illa substantia, in qua recipitur talis actio, nihil erat ante hujusmodi actionem: actio vero aliorum agentium non dicitur creatio, sed dicitur factio; & non dicitur esse ex nihilo, sed dicitur esse ex aliquo; quia substantia, illa in qua recipitur hujusmodi actio, erat aliquid ante hujusmodi actionem.

ALIQUALIS ERGO convenientia est inter actionem istam Dei & actiones aliorum agentium: sed cum ista aliquali convenientia est valde magna differentia. Possumus ergo ratione convenientiæ aliquantulum investigare hanc actionem Dei per actiones aliorum agentium; & maxime per actiones aliorum agentium, quæ sunt prima in genere talium: nam id, quod est primum in genere simpliciter, aliquo modo est investigabile per id, quod est primum in genere tali. Dicemus ergo quod sicut ignis est primum in genere calidorum, ideoque, quicquid est calidum est calidum per naturam ignis; ita esse divinum sit primum esse, propter quod, quicquid habet esse hoc sit quia participat illud esse.

Ex hoc autem potest patere, quid sit creatio? Nam sicut calefactio est communicatio caloris in alio, ita etiam creatio est communicatio ipsius esse in alio. Propter quod sicut actio ignis, qui est primum in genere calidorum, dicitur esse quædam calefactio, ita creatio, quæ est actio ipsius Dei, qui est primum ens, potest dici quædam essefactio. Differt tamen calefactio, quæ est actio ignis, à creatione, quæ est quædam essefactio, & est actio ipsius Dei; quod ignis, licet sit primum in genere calidorum, non sit tamen primum in genere entium, nec sit primum agens simpliciter. Et quia, sicut se habet agens ad agens, ita se habet effectus ad effectum, illud, quod non est primum agens, sed præsupponit aliud

agens, habebit effectum, qui non erit primus effectus, sed præsupponet alium effectum, in quo recipiatur calefactio. hinc, actio ipsius ignis præsupponit calefactibile, in quod recipiatur. Sed si ignis esset agens primum non præsupponeret aliquem effectum alium alicujus agentis: sed simul calefaciendo produceret ipsum calefactibile; & dici posset, quod ignis calefaceret ex nihilo, quia calefaciendo produceret ipsum calefactibile, quod ante hujusmodi calefactionem non erat nihil: sed erat aliquid quod præsupponebatur ad hujusmodi actionem.

ADVERTENDVM tamen, quod si ignis esset primum agens & propria actio ejus esset calefacere, calor communicatus ab igne ipsi calefactibilibus, proprie loquendo, non esset accidens, sed esset aliquid pertinens ad genus substantiæ; sicut esse communicatum entibus ideo ad genus substantiæ dicitur pertinere.

Dico tamen quod si sic esset de igne, quod esset primum agens; & quod sua actio esset calefactio, & quod simul cum calefactione produceret ipsum calefactibile; licet totum produceretur per calefactionem, & totum diceretur generari calidum; non tamen diceretur, quod totum, esset ipsa calefactio, sed calefactio diceretur ipse calor; Nam actio, *secundum philosophum*, non dicitur de toto, sed dicitur de perfectione & complemento. Licet ergo totum agatur, non tamen totum dicitur esse ipsa actio: sic nec totum dicitur esse ipsa calefactio, dicitur autem esse ipse calor, qui se habet ut perfectio, & ut complementum ipsius calefactibilis: eadem enim perfectio, aliter & aliter considerata, dicitur calor & calefactio: sed dicitur calor, ut est quædam qualitas, & quædam perfectio: dicitur calefactio, ut est quid communicatum a calefaciente: vel dicitur calefactio passio, ut est recepta in calefactibili. Sic creare Dei nihil est aliud, quam quædam essefactio & quædam communicatio ipsius esse. Deus enim, producendo res in esse & communicando rebus suum esse dicitur res creare, quando sic communicat esse rebus, quod ante illam communicationem

nem res nihil erant, sed inceperunt esse per huiusmodi communicationem. In huiusmodi ergo essefactione, vel in huiusmodi communicatione ipsius esse totum est, quod producit totum est, quod creatur: non tamen totum dicitur esse ipsa creatio, nec totum dicitur ipsa essefactio: sed sicut calefactio est calor, non quocumque modo sumptus, sed ut est communicatus calefactibili à calefaciente; sic creatio, quæ est idem, quod essefactio, est idem realiter quod ipsum esse, non quocumque modo sumptum; sed ut est communicatum rebus, sive entibus alijs à Deo.

quomodo
in omni
productio-
ne detur
quædam
compositio?

IN OMNI ergo productione oportet dare aliquem compositionis modum; ut si huiusmodi productio sit ipsa relatio, & dicatactum magis relatum quam absolutum: tunc huiusmodi productum erit compositum ex substantia & relatione; sic dicimus, personas divinas esse compositas: verum quia relatio nullam realem compositionem facit ultra suum fundamentum, dicimus, quod secundum rei veritatem persona sit ita simplex sicut essentia. Sed si huiusmodi productio dicat quid absolutum, oportet illud productum esse compositum ex duobus absolutis: ex duobus autem absolutis non sit unum, si quodlibet se habeat ut potentia: propter quod oportet unum illorum se habere ut potentiam, & aliud ut actum; ut potest patere ex 2. de anima & 8. metaphisica, & ex primo de generatione. Dicemus autem quod omne tale productum produceretur per actionem alicujus agentis: ipsa autem actio non dicitur agi, nec motus dicitur moveri: sed si actio dicatur agi, hoc est quia agitur in alio: propter quod oportet ibi dari duo, & actionem ipsam, quæ se habet ut actus, & illud in quo suscipitur actio, quod se habet ut potentia: ex quibus duobus sit unum compositum ex potentia & actu.

Et ex hoc apparet, quare non fiat nisi compositum: quia si non dicatur actio fieri, nisi ratione, qua recipitur in susceptibili; vel si non dicatur actus fieri, nisi ratione, qua recipitur in potentia, prius intelligitur quod actus

recipiatur in potentia, quam quod actus fiat. Imo quia hoc modo fit actus quia recipitur, cum actus compositus dicat quid compositum, ideo dicitur actus fieri ratione compositi. Sic & quia potentia non fit nisi sub actu, cum potentia sub actu dicat quid compositum, primo & per se dicitur fieri compositum; quo facto dicuntur fieri potentia & actus.

IN OMNI ergo factione, accipiendo factionem largè, prout ipsa creatio est quædam factio, est dare talem compositionem potentiæ & actus: sed secundum aliam & aliam factionem aliter & aliter sumetur talis compositio. Ideo cum videamus triplicem factionem, unam quæ fit à natura; aliam quæ fit ab arte, Tertiam quæ fit à solo Deo; distinguemus triplicem compositionis modum, unum ex materia & forma, alium ex subjecto & accidente, tertium ex essentia & esse.

hinc fieri
triplex est
productio,
à natura.
ab arte, à
solo Deo:

sic datur
triplex
compositio.

Natura enim resolvit usque ad formam substantialem; præsupponit tamen materiam. Ideo in factione naturæ, quæ potest dici generatio, est compositio ex potentia & actu, id est ex materia & forma. Ars autem non potest inducere nisi accidentales formas: unde & commentator in primo physici: vult, quod omnes formæ artificiales sint accidentia: in factione ergo artis est compositio ex potentia & actu id est, ex subjecto & accidente. Et quia natura plus potest quam ars, potest natura inducere formam substantialem: potest & accidentalem, etiam excellentiori modo, quam faciat ars: In factione autem ipsius Dei, quæ dicitur creatio, quia ibi nihil præsupponitur, est compositio ex potentia & actu, id est, ex essentia & esse.

Cum ergo creari competat non solum rebus materialibus, sed immaterialibus, oportet in factione tali dare generaliore compositionem, quam ex materia forma: quia si non daremus generaliore compositionem, non producerentur per creationem nisi materialia.

ex materia
& forma,
ex subjecto
& accidente
& ex
essentia &
esse.

Rursus si per huiusmodi factionem producat substantia rerum, non erit huiusmodi compositio ex substantia & accidente: sed erit per aliquid persistens

tinens ad genus substantiæ: ideo dicimus, talem compositionem esse ex essentia & esse: quod esse ad genus substantiæ pertinet, & per reductionem in genere substantiæ collocatur.

SED MVLTII petunt, quid sit istud esse? Dicemus ergo quod multi tempore *Aristotelis* dicebant, quod sit ipsa forma. Et non modicum laboravit *philos.* ad declarandum, quare nihil possit fieri nisi compositum, & quod omne generabile, eo ipso, quod est factibile, sit quid compositum ex potentia & actu, id est, ex materia & forma. Sic ergo in proposito, eo ipso quod res sunt creabiles & annihilabiles: ita quod substantia rerum creaturarum possit incipere, cum ante nihil esset: & possit perdere esse: oportet omne tale esse compositum ex potentia & actu: ut hoc modo dicatur, fieri, quia potentia sit sub actu, & actus sit in potentia: huiusmodi autem actus & potentia sunt esse & essentia: non enim huiusmodi actus possunt esse materia & forma, cum causentur immaterialia: nec substantia & accidens, cum per creationem producantur ipsa substantia; sed dicimus quod sint esse & essentia: cum enim omnis substantia creata possit non esse, dicitur esse in potentia ad esse: & hoc modo per creationem producitur à Deo, quia per creationem communicatur ei esse. Sicut ergo forma est perfectio ipsius materiæ: & per generationem communicatur forma ipsi materiæ, & perficitur materia per formam, sic esse est perfectio ipsius essentiae, & per creationem communicatur esse ipsi essentiae, & perficitur essentia per esse.

In omni enim creatione datur præter essentiam rei creatæ aliquis actus ei communicatus, qui est ipsum esse.

In tantum ergo determinatum sit, quod ultra essentiam rei creatæ oporteat dare aliquem actum, qui per creationem communicatur ipsi essentiae per quam communicationem dicatur essentia creata produci, & habere esse; quem actum vocamus esse. Quod si tamen aliter vellet aliquis huiusmodi actum appellare, postquam constaret de re, non litigarem de nomine. Si enim non sit intelligibile, quod fiat aliquid, quod non sit compositum: & secundum quod loquimur de factione, sic oporteat loqui de compo-

sitione; ut si per factionem fiat ipsa substantia, oporteat dare compositionem, quæ pertineat ad genus substantiæ: & si factio illa sit omnium rerum generaliter, oporteat dare compositionem repertam in omnibus rebus causatis generaliter: huiusmodi autem non potest esse nisi compositio essentiae, & esse, quæ ad genus substantiæ pertinent, modo quo dictum est: & reperitur generaliter in omnibus rebus creatis. Quod si hanc compositionem negent, fingant aliam, si possint, secundum quem omne creabile dicant esse compositum.

non enim est aliud, quam quædam esse-factio.

REVERTAMVR ergo ad propositum, & dicamus, quod creatio nihil sit aliud, quam quædam esse-factio, vel quædam communicatio ipsius esse ipsi creaturæ: sed communicatio ipsius esse nihil sit aliud, quam esse communicatum: & esse-factio nihil sit aliud, quam esse in aliquo, vel ab alio factum. Sicut calefactio nihil est aliud, quam calor factus in alio, vel calor factus ab alio, ut calefactio est actio. Creatio sic est idem quod ipsum esse, ut à Deo creatore est communicatum substantiæ creatæ. Creatio ergo proprie est quædam esse-factio, & dicitur ipsum esse communicatum ipsi essentiae: & non dicitur proprie, quod sit totum compositum ex esse & essentia: nisi forte vellemus loqui de creatione & factione largè: ut quia totum sit, & totum creatur, totum dicatur quædam factio, & quædam creatio: hoc enim modo non accipietur actio pro ipso actu, sed pro eo, quod agitur; quod non est proprie dictum, cum actio non proprie agat. Cum ergo quaeritur quid sit creatio? Vtrum sit substantia, vel accidens? dicendum, quod non sit proprie substantia, nec accidens, nec relatio tantum, sed sit quædam communicatio ipsius esse: vel ipsum esse communicatum substantiæ creatæ: quæ ante huiusmodi esse nihil erat. Creatio ergo non est accidens, sed aliquid pertinens ad genus substantiæ; sicut punctus est aliquid pertinens ad genus quantitatis, licet non sit quantitas, sed sit quantitatis terminus. Ita & esse est pertinens ad genus substantiæ, licet proprie non sit substantia

sive esse communicatum, pertinens ad genus substantiæ.

sed actus substantiæ.

quomodo
se habeat
creatio
actio ad
creationem
Passionem?

POSTQVAM Diffusè declaravi-
mus, quid sit creatio? Volumus,
propter argumenta facta, declarare,
quomodo creatio actio sumatur per
comparisonem ad creationem pas-
sionem? Dicemus autem quod uno
modo creatio actio sit in Deo creante,
& creatio passio sit in re creata. Quam-
vis interim alio modo possit sumi
creatio ut tam huiusmodi actio, quam
passio sit in re creata: secundum
quem modum loquitur *philos. in 3.
physicorum*, quod *non est actio in agente,
& passio in passio: sed actio & passio sunt
in patiente.*

Dicemus enim, quod in omni fa-
ctione factum sit quoddammodo per du-
plicem actum; videlicet per actum
non transeuntem; & per actum tran-
seuntem; ita quod actus transiens sit
ab actu non transeunte. Passionem
ergo si referamus ad actum non tran-
seuntem, dicemus, quod passio sit in
patiente, & actus in agente: sed si
referamus passionem ad actum, sive
ad actionem transeuntem, sic idem
est realiter passio cum tali actu, sive
cum tali actione, & non differt, nisi
sicut via, qua itur Athenis Thebas, &
Thebis Athenas: si enim incipias At-
henis, & vadas Thebas est via, quâ
igitur Athenis Thebas: sed si illam
eamdem viam incipias Thebis, & vadas
Athenas est via qua itur Thebis
Athenas: ita illa eadem perfectio, ut
consideras eam, prout incipit ab agen-
te, & vadit in passum, dicetur actio:
prout verò suscipitur in passio ab agen-
te, passio: & quia una & eadem res
est hæc & illa, oportet quod talis
actio, & quod talis passio sint in uno
& eodem, ut in passio.

ubi ponun-
tur varie
accepciones
& conside-
rationes,
earundem.

ET, ut quod dictum est in termi-
nis, exponatur, Dicemus hoc verita-
tem habere tam in agentibus per natu-
ram, quam per intellectū. Natura enim
& generationes naturales, ut *Patet ex
8. metaphisica*, artificio assimilantur; ut
omne quod fit, aliquo modo fiat à
sibi simili & convenienti: ut in agen-
tibus per artem & per intellectum, à
domo in anima fit domus in materia:
in agentibus autem per naturam à ca-
lore in calefaciente fit calor in calefa-

ctibili. Ante ergo quam fiat domus
in materia apprehenditur domus in
anima. Factio ergo domus à duplici
actu dependet & à domo apprehen-
sa in anima, & à domificatione facta
in materia: sed domus apprehensa in
anima est actus sive actio non transiens;
quia est ipsum intelligere domum:
domificatio vero in materia est actio
transiens. Domificationem ergo passio-
nem ad duo possumus referre, vel
ad actionem non transeuntem, & sic
passio est in patiente, & actio in agen-
te. Vel ad actionem transeuntem: &
sic realiter idem est passio cum tali
actione; ut domificatio passio idem est
cum domificatione actione: non dif-
fert autem, nisi quod, prout est ab
agente, dicatur actio, & prout in pa-
tiente, dicatur passio: sic autem accepta
actio bene quidem est ab agente: sed
non est in agente, sed in patiente.

Et quod dictum est de agentibus,
per intellectum, etiam habet de
agentibus à natura; ut calor, qui
est ratio calefaciendi in rebus na-
turalibus, primò dat calido esse cali-
dum; & postea dat ei quod calefaciat.
Passio ergo, quæ infertur calefactibili,
dependebit à duplici actu; videlicet
ab actu non transeunte; ut à calore,
qui est perfectio ipsius calidi: nisi
enim calidum in se caleret, & habe-
ret esse calidum, & esset actu tale,
non calefaceret, quia nihil agit, nisi
secundum quod est in actu: sive enim
sit agens univocum sive æquocum,
dum transit agens per se, oportet quod
ipsum sit quid in actu: ita quod pas-
sio in passio erit ab actu qui est in
agente.

Alio modo potest accipi actio pro eo,
quod transit in passum: & talis actio
est idem cum ipsa passione: ut, idem
est calefactio passio, quod calefactio
actio: & utrumque est in ipso patiente.

SIC ET IN proposito, taliter po-
test accipi creatio actio, quod erit
actio in re creante, & passio in re crea-
ta: & taliter, quod utrumque erit in
re creata. Deus enim in creando est
agens per intellectum & voluntatem,
& in creando habet aliquid simile cum
agente per naturam: non quod ipse
agat

agat ex necessitate naturæ, sed quod sit aliqua similitudo inter agens divinum & per naturam. Nam sicut in actione naturali à calore, qui est in calefaciente, est calor in materia, sic in creatione rerum, ab esse, quod est in Deo, est esse in rebus creatis. Si ergo consideremus Deum, prout est agens per voluntatem & intellectum, dicemus, quod creatio passio dependeat à duplici actione Dei, videlicet ab actione non transeunte, ut velle & intelligere Divino, quia Deus intelligendo & volendo producit res: & ab actione transeunte, quia si Deus sic intelligeret & vellet, quod nulla actio transiret in exteriorem materiam, nihil per creationem crearetur. Licet ergo actio transiens dependeat ab actione non transeunte, quia creatio in materia est à velle, & intelligere divino; à eo tamen, nisi esset actio transiens, nunquam constitueretur creatura.

Si ergo creatio passio comparetur ad actionem non transeuntem, sic creatio actio est idem quod velle Dei, vel intelligere: & hoc modo creatio actio est in Deo creante: quia velle & intelligere divinum sunt in ipso Deo; creatio autem passio est in re creata. Sed si comparetur huiusmodi creatio passio ad actionem transeuntem, sic eandem rem dicit hoc & illud: & utrumque tam creatio actio quam passio, sunt in re creata.

Est enim advertendum quod passio dicatur effectus actionis, etiam loquendo de actione transeunte, quæ est eadem res quod passio. Nam sicut unum & idem aliter & aliter consideratum potest esse prius seipso, sic potest esse causa suiipsius; ut quia calefactio non recipitur in passio nisi quia ab agente est calefactio; Ideo dicitur calefactio passio esse à calefactione actione; & dicitur passio esse effectus actionis. Creatio autem passio est effectus creationis transeuntis; & non transeuntis: ab una quarum differt realiter, ab alia non; ut actio transiens est ab actione non transeunte. Et quod realiter differat creatio passio à tali actione, non est inconveniens; quod talis creatio actio, quæ est non tran-

siens, & quæ est idem quod intelligere Dei, vel idem quod velle, non sit in eodē subjecto cum creatione passione: sed huiusmodi sit in Deo creante; creatio autem passio in re creata. Ab alia autem, ut ab actione transeunte, non differt creatio passio realiter; propter quod utraque est in re creata.

Et quod dictum est de actu transeunte & non transeunte, prout Deus agit à proposito, veritatem habet de Deo, prout assimilatur agenti naturali; ut dicamus, quod sicut à calore, qui est in igne, fit calor in materia, ita ab esse, quod est in Deo, fiat esse in re creata. Differenter tamen; quia à calore, qui est in igne, ex necessitate naturæ fit calor in materia: sed Deus non ex necessitate naturæ, sed ex libertate arbitrij suum esse communicat rebus creatis. Secundum quem modum loquendi magis distinguemus duplicem actum, quam duplicem actionem. Nam licet idem sit esse Dei à quo fluit esse creatum, & intelligere Dei, per quod creantur creaturæ; tamen per illud idem esse significatur actus, & perfectio: per intelligere autem significatur actio, & operatio.

Distinguemus ergo duplicem actum; videlicet non transeuntem, ut esse Dei, & transeuntem, ut esse creatum. Creatio ergo passio differt realiter, nec est in eodem cum actu non transeunte, ut cum esse Dei: non tamen differt realiter ab actu transeunte; & est in eodem cum esse creaturæ.

VISO, QUID sit creatio? Quia hoc quærebat quæstio: & ostenso, qualiter se habeat creatio actio ad creationem passionem? Quia hoc tangebant aliquantulum argumenta, volumus removere difficultates alias fieri possibiles circa hanc materiam. Dicimus enim quod Deus mediante creatione creet. Quærere ergo quis poterit quid ibi dicat creatio? Secundum enim quod tactum est, creatio, ut est actio, dicit ipsum esse creatum: vel potest dicere ipsam relationem, quæ originem sumit ex huiusmodi actione; quia semper actionem agentis sequitur aliqua relatio.

Cum ergo dicimus quod creator mediante creatione creet, si creatio

& ostenditur quid significet creatio dum Deus mediante creatione dicitur creare.

ster pro ipsa relatione, videtur locutio falsa; quia tunc intellectus relationis præcederet intellectum substantiæ. Si autem creatio dicat ipsum esse, videtur adhuc locutio falsa; quod mediante esse fiat creatura; quia tunc mediante esse fieret essentia, quod videtur è converso. Similiter etiam dicimus, quod creatio sit via in esse; sicut dicimus, quod generatio via in formam; quod commune dictum non videtur posse salvari secundum prælibatam sententiam: nam si creatio dicat ipsam relationem, constat quod relatio non sit via in esse. Si autem dicat ipsum esse, tunc idem esset via in seipsum.

DICEMVS ERGO, quod esse & essentia dupliciter possint considerari; primo quidem prout essentia dicit quid informæ, & dicit ipsum subjectum: esse vero dicat quid formatum & dicit ipsam perfectionem: propter quod licet tempore sint simul esse & essentia; naturali tamen intelligentiâ essentia præcedit esse; quia secundum *August. in libris confess. & super genesi*. Natura origine prius est informæ, quam formatum.

Alio modo possunt considerari essentia & esse, prout tanquam potentia & actus componunt ipsum creabile, cui per se competit talis factio: ut dicamus quod per creationem non fiat per se essentia: nec per se esse; licet fiat essentia sub esse, & esse in essentia: sicut per generationem non fit per se materia, nec per se forma, sed fit materia sub forma, & forma in materia: secundum quem modum & essentia est ratio quare causetur esse: & è converso. Nam si non fiat potentia per se; sed fiat potentia & essentia sub actu & non fiat actus per se; sed facere actum sit ipsum facere in potentia; consequens est, quod & potentia sit ratio, quare fiat actus, & è converso.

Et iste modus considerandi est magis per se, & proprius præsentis negotio, quam prior. Nam cum per se non fiat nisi ipsum compositum ex potentia & actu; quando loquimur de factione potentiæ, & actus, debemus loqui de eis prout sunt partes

eiusdem compositi, cui per se competit fieri.

ESSE ERGO potest considerari ut est ratio quare creetur essentia: quod esse est idem quod creatio passio, quod est in re creata: & idem quod creatio actio, quod est ab agente, siue à creante. Cum ergo passio sit effectus actionis, & actio sit via in passionem, esse, ut est creatio actio, est via in seipsum, & est ratio sui ipsius, prout est creatio passio. Si ergo esse sit ratio quod fiat essentia, & creatio actio, sit ratio quod fiat ipsum esse; creatio actio erit ratio quod fiat totum: mediante ergo creatione actione dicitur totum creari.

Erit ergo hic ordo; quod esse, ut est creatio actio erit ratio sui ipsius, ut est creatio passio, & ut suscipitur in essentia: & illud idem esse, ut est creatio passio, & ut suscipitur in essentia, est ratio quare fiat essentia: quia actus receptus in potentia est ratio cur fiat potentia. Creatio ergo actio est ratio quod fiat totum, & mediante creatione actione dicitur fieri totum.

ADVERTENDVM autem, quod, ^{item quomodo magis ratio cur fiat potentia, quam è contra.} licet potentia sit ratio quare fiat actus, & è converso: tamen quantum ad ali-
quid actus est magis ratio quare fiat potentia, quam è converso, & maxime in creatione, ubi agens sic agit, quod non præsupponat potentiam, in qua recipiatur actus, sed producat eam simul cum actu: cum enim omne agens assimilet sibi passum, & potentia assimiletur agenti magis mediante actu, quam è converso: secundum hoc, ut ista comparantur ad agens, dicetur aliquo modo actus magis esse ratio producendi potentiam, quam è converso. Et ex hoc patet, quomodo res mediante creatione creentur, & quomodo sit via, prout creatio dicit ipsum esse: non quocunque modo, sed ut est creatio actio, & ut est ab agente, secundum quem modum est via in seipsum, ut est creatio passio, & ut est in passio, vel ut est perfectio essentia.

SED SI creatio dicat ipsam relationem, tunc sensus erit, quod creatura mediante creatione creetur, id est, median-

mediante relatione refertur. secundum quem modum intellectus relationis non præcedet intellectum substantiæ: quia sic creatio non dicit ipsam actionem Dei, quæ est via in rem creatam: sed dicit relationem sequentem huiusmodi actionem.

ARGVMENTA autem sibi invicem non contradicebant: nam creationem non esse relationem, quæ est accidens: & posse accipi, ut est relatio, non est contradictio,

QVÆSTIO II.

QVOD LIBETI V.

Utrum diversa perfectibilia genere possit perficere una & eadem perfectio?

Hanc qu. potissimè instituit Ægidius ratione habitus charitatis, quo Deum diligimus, & quo anima perficitur in sua voluntate, & de eo tractat in primum d. 17. cum alijs sententiarijs item tractatur 2. 2. a. qu. 23. à D. Th. & comment. vid. Coninck de virt. d. 22. item resolvitur potest ex resolutione alterius qua quæritur, utrum idem numero accidens possit esse in duobus subjectis? de quo vid. Ægid. cum auct. cit. quodl. 4. q. 1. item an accidentia recipiantur in sola materia? an etiam in quantitate? an in toto composito de quo vid. Arriaga ph. d. 5. Hurrad. d. 6. suar. met. d. 4. f. 3.

Ægidius verò hic eam tractat ordine à se allegato initio textûs.



SECUNDO quærebatur de ipsis perfectionibus in comparatione ad suas perfectiones; utrum diversa perfectibilia genere possit perficere una & eadem perfectio? Et arguebatur quod non: Quia dicebatur, loquendum est de perfectionibus sicut loquimur de perfectibilibus: si ergo perfectibilia sunt diversa genere, erunt & perfectiones diversæ genere.

CONTRA DICITVR de opinione magistri, de charitate, quod subtilis sit & non possit per rationes cogentes improbari: sed secundum opinionem illam, videtur quod cogantur ponere, quod gratia perficiat essen-

tiam, & potentiam animæ, quæ sunt diversa genere ergo &c.

RESOLVTIO

Cum inter perfectiones & perfectibilia non sit necessario situalis ordo sed causalis, poterit eadem numero perfectio diversa perfectibilia genere, vel simul formaliter, vel unum virtualiter, aliud formaliter perficere.

RESPONDEO, dicendum, quod in hac quæstione sic procedemus: quia primo ostendemus quod cogamur ponere eandem perfectionem immediatè perficere diversa perfectibilia genere. Secundo distinguemus de ipsa perfectione. Tertio descendemus ad opinionem magistri propter quam videtur esse quæstio mo

quid & quomodo tractandû?

PROPTER PRIMVM sciendum quod inter perfectibilia, & perfectiones non sit ordo situalis, nec ordo contactus, sed ordo causalis tantum; ut si qualitas & quantitas fluant à substantia, & qualitas fluat mediante quantitate, & perficiat substantiam mediante ipsa; cogimur ponere quod eadem qualitas, quantum ad ordinem situs, & contactus, immediatè perficiat quantitatem & substantiam. Non enim sic quantitas, & qualitas sunt perfectiones substantiæ, sicut camisia & tunica sunt tegumenta carnis: nam tunica sic tegit carnem quod immediatè ipsam non attingat: sed immediatè attingit camisiam, & mediante camisia carnem: quod ideo contingit, quia inter hæc est ordo localis & situalis: & ubi est unum, ibi non est aliud: ubi enim est camisia, ibi non est caro: imo loco, & situ differunt hoc & illud. Sed si ubi esset camisia, ibi esset caro; non posset aliquid immediatè attingere camisiam quod etiam immediatè non attingeret carnem. Ex ordine ergo locali, & situali ortum habet ordo contactus; ut quia indumenta, cum sunt induta, habent differentiam localem, & situa-lem, ideo habent differentiam contactus, ut secundum indumentum non attingat immediatè rem indutam: sed

primò ostenditur sent. affirm.

per ordinem non situalē, sed causalē qui est inter perfectiones & perfectibilia.

immediatè rem indutam : sed immediate attingat indumentum primum.

Sed inter perfectiones & perfectibile hæc esse non possunt : quia non habent ordinem localem adinvicem : ut quod distinguatur loco perfectibile à perfectione, cum non sit ipsa perfectio nisi in suo perfectibili : propter quod ubicumque est ipsa perfectio, ibi est ipsum perfectibile : ubicumque est ergo quantitas, ibi est substantia. quia non est dare perfectionem sine perfectibili, nec accidens sine subiecto. Qualitas ergo si immediate attingat quantitatem : sicut tunica non posset immediate attingere camisiam, nisi immediate attingeret carnem, sive esset ordo situæ, sive localis inter unum & aliud. Est igitur inter perfectiones & perfectibilia ordo causalis prout una perfectio fluit mediante alia perfectione ; ut qualitas mediante quantitate. Potest ergo concedi quod una perfectio immediate attingat quantitatem & substantiam : propter quod cogimur ponere quod eadem perfectio immediate perficiat sic diversa immediate, quantum ad contactum ; quia immediate contingit ea ; non immediate quantum ad causalitatem quia naturaliter non sunt plura in aliquo, nisi unum sit mediante alio.

Quare autem eadem perfectio immediate perficiat diversa perfectibilia genere, modo, quo dictum est, possumus probare per *philos. in 3. de anima* dicentem. *Quare anima est locus specierum, sed non tota : sed intellectiva tantum*, ut sit sensus, quod anima sit locus specierum intelligibilium : non autem sic est locus specierum sensibilium : nam intellectus sicut in subiecto fundatur in ipsa essentia animæ : sensus autem sicut in subiecto, fundatur in organo : ut sensus visus in oculo. Sicut ergo in oculo dicuntur esse species visibiles ; quia in eo tanquam in subiecto fundatur sensus visus : & sicut in organo sensitivo dicuntur esse species sensibiles, quia in eo fundantur potentiæ sensitivæ sic & in ipsa anima erunt species intelligibiles ; quia in ipsa essentia animæ, tanquam in subiecto, fundatur potentia intellectiva.

Anima ergo est locus specierum, non tota, id est, non quantum ad omnem potentiam, quia immediate non subijcitur omni suæ potentiæ, sed intellectivæ tantum ; quia immediate subijcitur intellectui. Eadem ergo species intelligibilis est in intellectu, & est in anima ; cum anima dicatur esse locus talium specierum : ergo eadem perfectio perficiet potentiam & animam ; non enim potest anima esse locus talium specierum, nisi sicut substantia est locus suarum perfectionum. Est tamen diligenter notandum, quod anima dicitur esse locus specierum, & species immediate dicatur perficere ipsam animam quasi locum : sic tamen hoc debemus intelligere, quod inter talia non sit ordo localis : non enim est de talibus sicut de indumentis. Est enim inter indumenta ordo localis : quia caro immediate locatur in camisiam, & non immediate in tunica : non sic autem species immediate locatur in intellectu, & non immediate in anima : sed tam anima quam intellectus est immediatus locus specierum intelligibilium. Et hoc modo species dicitur immediate utrumque perficere, quia non est ibi ordo localis, est tamen ibi ordo causalis : nam causaliter prius dicitur recipere intellectus quam anima ; quia anima non recipit huiusmodi speciem nisi mediante intellectu.

VISO QVOMODO eadem perfectio potest immediate perficere diversa perfectibilia genere ; Si volumus distinguere de perfectionibus, dicemus quod aliqua dicantur esse perfectiones aliorum formaliter ; alia autem virtualiter, ut perfectiones posteriorum possunt esse perfectiones priorum formaliter, perfectiones vero priorum possunt esse perfectiones posteriorum virtualiter. Si igitur perfectiones perficiant priora, quia perficiunt posteriora, possunt esse perfectiones earum formaliter, quia si est actus respectu actus, multò magis est actus respectu potentiæ. Propterea quod est perfectio respectu posteriorum, poterit esse perfectio respectu priorum : ut si species intelligibilis perficiat animam, quia perficit intellectu

2. exa m.
nantur &
declarentur
diversæ
perfectio-
nes, earum-
que modi
perficiendi

ctum; cum intellectus sit perfectio animæ, & habeat se ut actus respectu ejus, quod erit perfectio intellectus formaliter poterit formaliter esse perfectio animæ: species itaque intelligibilis erit formalis perfectio utriusque. Sed quæ sunt perfectiones priorum, possunt esse perfectiones posteriorum virtualiter; quia perfectio subjectificat ad perfectionem omnium eorum, quæ sunt in subjecto juxta considerationem *philos. in Thop.* Quæ sunt in nobilioribus subjectis, sunt nobiliora. Secundum hunc ergo modum perfectio essentia, & nobilitas ejus facit ad perfectionem & nobilitatem omnium potentiarum.

3. exami-
natur
opinio ma-
gistri de
de habitu
sup. chari-
tatis

HIS ITAQVE prælibatis volumus descendere ad *opinionem Magistri*. Dicemus enim quod, secundum opinionem communem, cui *adhæsimus in primo sententiarum*, cum opinione *Magistri*, quam tractavimus, in essentia animæ est gratia, cum potentia volitiva est charitas, quæ est habitus: & ad faciendum actum meritorium non sumus sufficientes, nisi tota *trinitas*, & appropriatè *spiritus sanctus* sit in anima nostra, & voluntate nostra movens nos ad eliciendum actum meritorium. Propter quod, ut dicebamus supra, quantumcumque manus sit in corpore pueri, & penna sit in manu ejus, non sufficit puer ad scribendum, nisi scriptor apprehendat manum pueri, & moveat eam ad scribendum: sic & in proposito, quantumcumque sit gratia in anima: & charitas in voluntate, adhuc requiritur ibi præsentia *spiritus sancti*. Propter quod in talibus, ut dicebamus, magis agimur quam agimus. Sic ergo dicimus.

MAGISTER TAMEN diceret, quod nō oporteat ad eliciendum actum dilectionis, qui sit actus meritorius ponere habitum charitatis in anima: sed sufficiat gratia in anima elevans & nobilitans ipsam, & per consequens nobilitans & elevans potentias ejus cum præsentia *spiritus sancti* ad hoc ut eliciamus hujusmodi actum. Posuit ergo *Magister* in anima gratiam & posuit actum charitatis; sed non posuit habitum, qui esset habitus charitatis alius à gratia, sed voluit quod

actum sperandi eliceret *spiritus sanctus* mediante habitu spei: & actum fidei mediante habitu fidei: sed actum charitatis eliceret *spiritus sanctus* non solum sine gratia media, sed sine habitu charitatis medio.

Ad quod ponendum fortè potuit eum movere; quia actum fidei & actum spei possunt habere mali, in quibus non non dicitur esse *spiritus sanctus*: sed actum charitatis non habent nisi habentes *spiritum sanctum*. unde *Aug. 11 de trini c. 18.* dicit, *nullum esse majus donum quam sit charitas; quia hoc solum est, quod dividit inter filios regis; & filios perditionis æternæ.*

Rursus in eliciendo actum charitatis magis nos habemus ut acti & ut moti, quam ut agentes, & moventes: ita quod *spiritus sanctus* faciat in nobis talem actum, & moveat voluntatem nostram ad talem actum.

Videbatur ergo *Magistro*, quod quandoquidem *spiritus sanctus* faciat in nobis talem actum, quia filij Dei spiritu Dei aguntur, non requireretur aliquis alius habitus charitatis; sed sufficeret gratia ad hoc quod *spiritus sanctus* possit in nobis talem actum efficere. Si enim respectu actus charitatis nos haberemus ut moventes, & ut agentes, requireretur ibi talis habitus, quia non posset potentia in tantum actum, nisi esset perfecta per habitum: sed quia non sic est, & nos non habemus respectu perfecti actus ut moventes, sed magis ut moti poterimus talem actum habere modo quo dictum est.

CVM ERGO in scripturis invenitur, quod sit dare charitatem creatam; quia charitas increata dat creatam secundum *Magistrum*, referendum est ad actum charitatis, non ad habitum; charitas enim increata, ut *spiritus sanctus*, dat charitatem creatam, id est, movet voluntatem nostram immediate absque habitu charitatis medio ad eliciendum charitatis actum: similiter cum invenitur, quod nullum sit excellentius donum, quam charitas, secundum *Magistrum* referendum est ad charitatis actum. Nam

eum, secundum *Magistram*, absque habitu charitatis medio efficiat in nobis spiritus sanctus actum charitatis, verè hic actus potest dici donum spiritus sancti. Sic igitur *Magister* diceret.

SED OPINIO communis, cui adhæremus, est, quod præter gratiam in anima, sit dare habitum charitatis in potentia, sive in voluntate, ad hoc quod spiritus sanctus moveat voluntatem ad actum dilectionis meritorium, sive ad actum charitatis. Et ad hoc quod dicitur quod spiritus sanctus moveat ipsam voluntatem, ideo non requiritur ibi aliquis habitus medius; dicimus, quod habitus non solum requiritur ut aliquid agat, sed etiam requiratur ut aliquid agatur: ut rotunditas in sphaera requiritur, non ut habiliteret sphaeram, ut ipsa seipsam circulariter moveat, sed ut ab alio circulariter moveatur. Ita & habitus charitatis habilitat voluntatem nostram, ut à spiritu sancto moveatur.

NEC TAMEN hoc est sic intelligendum, quod in actibus meritorijs nos habemus ut acti, & ut moti à spiritu sancto; quasi nullo modo sumus agentes & moventes: sed quia magis sumus acti, quam agentes, & magis moti quam moventes: in talibus enim coadjutores sumus Dei; actus enim charitatis, & opera meritoria sunt à spiritu sancto principaliter qui efficit ea in nobis, & sunt à nobis; quia non sunt nisi volentibus nobis; ut potest haberi ab *Aug. primo retractationum in c. De expositione quarundam expositionum ex epistola Pauli ad Rom.*

IN HOC EST ergo differentia inter nos & *Magistram*; quia nos ponimus perfectionem essentiae per gratiam, & perfectionem potentiae, id est voluntatis per habitum charitatis, ad hoc quod spiritus sanctus efficiat in nobis actum charitatis: *Magister* autem posuit perfectionem essentiae animae per gratiam: sed non posuit perfectionem potentiae per habitum charitatis: sed voluit, quod ipse spiritus sanctus moveret absque habitu medio potentiam, id est, voluntatem ad talem actum. Et ad hoc valet distinctio quam facimus de perfectione; quia

perfectio subjecti formaliter est perfectio omnium eorum, quæ sunt in subjecto virtualiter: quia nobilitato subjecto nobilitantur omnia, quæ sunt in subjecto. Sic ergo diceret *Magister* nobilitata anima per gratiam, nobilitantur omnes potentiae animæ: propter quod nobilitatur ipsa voluntas, ut in ea possit immediatè à spiritu sancto effici charitatis actus. Sic *Magister* diceret. Nos autem diceremus quod non sufficiat sic nobilitari voluntatem virtualiter, nisi nobilitetur per habitum charitatis formaliter. Igitur inter sic loquentes magna pugna esse videtur & magna verborum colluctatio.

DIXIMVS verò *super primum sententiarum*, quod opinio *Magistri* subtilis esset & quod non posset per rationes cogentes improbari: quod sic exponimus; non potest improbari per rationes cogentes, id est, nondum vidimus nec adhuc etiam videmus rationes, quæ sic cogant, quod opinio *Magistri* non possit tollerari sicut opinio aliorum; & maximè secundum eos, qui dicunt, quod idem sit charitas quod gratia. Potest autem contingere, quod una opinio sit probabilior & rationabilior, quam alia: hoc tamen non obstante alia tolleretur, ut opinio. Sic opinio communis multò probabilior, & multò rationabilior est quam opinio *Magistri*; sed propter hoc non sequitur si probabilior est ea opinio quam alia, quod alia non possit, ut opinio, sustineri. Et si de hoc dubitetur dicemus, ut jam tetigimus, quod nunc *Magistri* & *subtiles* dicunt, quod idem sit in anima gratia quod charitas, id est, quod charitatis habitus: constat autem quod nunquam *Magister* intenderit negare gratiam, quia tunc fuisset peior *Pelagio*. Si ergo non ponant charitatis habitum alium à gratia, incidunt in opinionem *Magistri*: quod per gratiam absque habitu charitatis, qui sit alius à gratia spiritus sanctus efficit in nobis charitatis actum.

Et si dicatur quod ipsi ponant gratiam & charitatem idem, quia ponunt essentiam animæ idem cum potentijs; hoc non obstat: quia quantumcumque sit animal & homo eadem res, formalior & perfectior tamen

& ostenditur, quomodo ab opinione auctoris differat?

& quod non convincibiliter impugnari possit

& quomodo conveniat cum opinione aliorum, qui negant, gratiam à charitate realiter distingui.

tamen est ut homo, quam ut est animal: quia semper genus habet quandam rationem potentiae respectu speciei: ideo differentia quæ dicit formam, actum, & perfectionem, est quâ abundat species à genere. Sic dato quod eadem res esset essentia & potentia; illa tamen eadem res esset perfectior seipsâ considerata ut potentia, quam ut essentia: Quia semper potentia intelligitur esse perfectio essentiae: perfectior enim est anima considerata ut potens agere, quam sit per potentiam quam solum ut existens, & ut habens esse, quod sit per essentiam. Quod ergo erit perfectio essentiae, sive quod est perfectio subjecti erit perfectio potentiae, & eorum, quæ sunt in subjecto propriè & per se loquendo, virtualiter non formaliter.

QVOD ERGO ad propositum spectat non ponentes habitum charitatis absque gratia incidunt in opinionem *Magistri*. Nam si huiusmodi gratia ponatur esse perfectio potentiae & perfectio voluntatis, habet *Magister* intentum; videlicet, quod spiritus sanctus mediante gratia perficiente voluntatem, non mediante habitu charitatis, qui sit alius à gratia, efficiat in nobis charitatis actum.

Si verò huiusmodi gratia ponatur in essentia animæ, sive essentia ponatur idem quod potentia, sive non, gratia perficiens essentiam animæ formaliter perficit illam eandem essentiam, ut est potentia, vel perficit ipsam potentiam, quæ est tantum alia ab essentia virtualiter; ut possit in huiusmodi potentia spiritus sanctus efficere immediatè charitatis actum. Oportet ergo dicere negantes habitum charitatis alium à gratia incidere in opinionem *Magistri*. Si ergo hoc tolleretur ut opinio, quamvis oppositum videatur nobis probabilis, & tollerabilius, potest & dictum *Magistri*, ut opinio, tollerari.

ET PER hoc solum est ad argumentum in oppositum, quod fiebat de opinione *Magistri*.

QVÆSTIO III.

QVOLIBETI VI.

Utrum perfectio, quæ est accidens possit in aliquo esse, absque perfectione, quæ est esse.

Præcipua hic difficultas movetur de creatione, supposito quod ut accidens, de quo videnda quæstio superior cum auctoribus supra hoc consulantur auctores qui tractant, an materia ex stat per existentiam formæ? Conimbr. l. i ph c. 9. q. 6 & ibidem citati cum Egidio auctores consulantur e i m i, qui tractant an humanitas verbi existat per existentiam verbi?

Egidius autem hic negativam partem ostendit tribus modis, iuxta partitionem initio textus positam admittit tamen quod accidentia propria possint sciri, sine subjecto realiter existente, non tamen accidentia communia.



LERTIO quærebatur de ipsis perfectionibus, ut comparantur ad invicem; utrum perfectio, quæ est accidens, possit in aliquo subjecto absque perfectione, quæ est, esse?

ET ARGVEBATUR quod sic nam ut dicebatur, creatio est mutatio; & per consequens, est accidens & tamen est in ipsa essentia, quæ naturaliter est prius, quam esse: cum ergo ipsa subjecta rei causetur & creatio sit ipsa essentia, ad esse accidentis non requiritur esse; imo est aliquis actus, qui præcedit esse, ut creatio.

Primò dicebatur, quod si fieret materia sine forma, illa factio esset aliqua mutatio, & esset accidens, & esset in materia sine esse.

Deinde, humanitas in Christo non habet proprium esse: & tamen sunt in ea accidentia: ergo &c.

IN CONTRARIUM est; accidens præsupponit subjectum esse; ergo non potest esse accidens, sine esse.

RESOLVTIO.

Accidens non potest realiter existere in subiecto quod non existit. Benè tamen potest, si proprium sit, sine subiecto actualiter existente sciri.

tribus vijs
ostenditur.

RESPONDEO, dicendum, quod accidens non possit esse in subiecto sine esse: quod tripliciter potest declarari. Primo ex parte ipsius esse. Secundo ex parte ipsius accidentis. Tertiò ex parte ipsius subiecti.

1. ex parte
ipsius esse:

Prima via sic patet. Nam esse in rebus creatis est ratio, quod accidentia fiant in eis: nam ideo sunt accidentia in substantia, quia subjectum illud per suam essentiam non potest habere omnes perfectiones sibi debitas, siue perfectiones in eo non sunt ei essentielles: consequens ergo est quod habeat perfectiones accidentales & quod sint in subiecto accidentia. Omnis enim substantia, quæ non est ipsum esse perficitur per accidentia; quia ex esse sumitur omnis perfectio, quia in tantum aliquod perfectum est, in quantum habet tale esse: ut sapientia in tantum est perfectio sapientis, in quantum ei dat esse sapientis. Substantia autem creata non est omnis perfectio: & per consequens perfectiones illius substantiæ non sunt essentielles.

omnis quippe substantia, quæ non est suum esse, perficitur per accidentia & quare?

Ille ergo est primus modus generalis creaturæ, quod in eis essentia non sit ipsum esse: si enim essentia esset ipsum esse, haberet in se omnem rationem essendi, & esset illa essentia omnis perfectio, quod soli Deo competit. Essentia ergo creata, quia non est ipsum esse, determinatur ad spirituales modum essendi: & non potest illa essentia esse perfectiones omnium generum; sicut est essentia Dei, quæ est ipsum esse, & non determinatur ad aliquod esse: sed habet omnem rationem essendi, & est ipsa per seipsam perfectiones omnium generum, quæ perfectiones omnium generum in Deo transeunt in substantiam, ut patet per *Aug. in 5. de trini.* quod *Deus est sine quantitate magnus: sine qualitate bonus.* Magnitudo enim

in Deo non est quantitas: sed est ipsa divina essentia. Nec bonitas est qualitas: sed est ipsa divina essentia. In creatura vero perfectiones aliorum generum non transeunt in substantiam: sed manent secundum suum genus: ideo in creatura sunt multa per accidens; in Deo autem nihil est per accidens; ut idem *Aug. in eodem, lib. pertractat.*

Ex isto ergo modo, quia creatura non est suum esse: unde perfectiones in creatura sunt accidentia, & non transeunt in substantiam: ideo ex ipso esse possumus investigare, quare sine eo non possint esse accidentia in re sicut diceremus non esse aliquid sine eo, quod est ratio eorum, quæ sunt in illo.

SECUNDA VIA ad hoc idem sumitur ex ipsis accidentibus. Nam accidentis esse est in esse: dicemus enim, quod alia sint, quia sunt existentia per esse sui generis; sicut dicitur substantia esse, quia existit, & quia habet esse sui generis. Nam esse, per quod existit substantia per reductionem est in genere substantiæ. Alia verò sunt, non quia existant: nec quod habent per se esse: sed sunt, quia sunt in existente: ideo eorum esse est in existente esse, vel eorum esse est inesse. Quare si accidentia non sint, nisi quia sunt in existente; & idem existens non sit nisi per esse; consequens est ex ipsa natura accidentium quod accidentia non possint esse in aliquo sine esse.

2. ex parte
accidentis,
cujus esse
est inesse.

TERTIA VIA sumitur ex ipsis subiectis. Nam sicut se habet genus ad genus, ita se habet compositio illius generis ad compositionem aliam: constat autem quod genus substantiæ præcedat alia genera. Sic compositio, quæ est in genere substantiæ, vel eorum, quæ sunt in genere substantiæ, præcedit compositionem, quam faciunt alia genera in essentia: ergo facit compositionem ex esse & essentia. Nam una compositio generalis rerum creaturarum est ex esse & essentia: alia ex accidentibus & substantia. Est & compositio tertia ex forma & materia: sed hæc non est generalis omnium rerum creaturarum: sed rerum materialium tantum. Cum ergo

3. ex parte
ipsius sub-
iecti siue
substantiæ,
cujus genus
præcedit
omnia alia
genera.

ergo compositio ex essentia & esse pertineat ad genus substantiæ quia tam essentia quam esse est in hujusmodi genere : compositio vero ex substantia & accidente se extendit ultra genus substantiæ, quia accidentia ad genus substantiæ non pertinent : consequens est, quod compositio ex essentia & esse naturaliter sit prior compositione ex substantia & accidente. Accidens ergo in subiecto, sive in individuo, præsupponit esse ejus, sicut compositio posterior præsupponit compositionem priorem. Pater ergo quod non potest esse accidens in subiecto sive esse, id est, nisi subiectum sit.

duplicita
sunt acci-
dentia; pro-
pria, com-
munia;

SED SI quærat non de esse accidentium, sed de scientia eorum; utrum possint sciri accidentia in subiecto absque eo quod subiectum sit actu: dicemus quod duplex sit accidens, unum quod communi nomine dicitur accidens, & aliud quod vocatur proprium. Nam & ipsum proprium manet de genere accidentium. Si ergo loquimur de accidente, quod est proprium, absque eo quod subiectum sit actu, possunt intelligi talia accidentia in subiecto; ut possunt intelligi proprietates rosæ, & haberi scientia de rosâ, nulla rosâ existente: sufficit enim quod res sit in suis causis, ad hoc quod possit esse scientia de ea. Si autem rosâ non existente sic; esset de rosâ dicendum sic ut de chymera, quæ nec est in se, nec in suis causis; sed est solum figmentum apud animam; nulla esset scientia de rosâ, non existente rosâ. Cum ergo scientia sit per demonstrationem; & demonstratio probet propriam passionem de subiecto, quia potest esse scientia de re non existente, possunt intelligi proprietates de subiecto, absque eo, quod subiectum habeat actuale esse. De accidentibus vero, quæ sunt per accidens non est propriæ scientia.

illorum est
scientia si-
ne esse
actuali sub-
iecti.

non horum

Tamen sequendo modum loquendi *Porphyrj*, potest subiectum intelligi cum contrario horum: in quo differunt talia accidentia proprijs tam enim accidentia communia, quam propria in hoc conveniunt, quod sunt posteriora subiectis, & quia prius potest intelligi non intellecto posteriori

potest intelligi subiectum non intellectis proprijs, nec accidentibus: sed in hoc differunt hæc & illa, quod non possit intelligi subiectum cum contrario proprij; ut non posset intelligi corvus cum contrario sui proprij: & non posset intelligi homo cum contrario risibilis; ut quod esset homo, & esset non risibilis. Nam quia propria fluunt ex principijs speciei, si intelligeretur res cum contrario proprij, intelligeretur cum contrario principijs speciei; ut si intelligeretur homo cum contrario risibilis, ut quod esset non risibilis, intelligeretur quod non esset in specie hominis. Sed de accidentibus non est sic: potest enim intelligi subiectum cum contrario sui accidentis; ut potest intelligi corvus albus, & æthiops nitens candore. Et cum accidentia causentur ex principijs individui, quia potest intelligi corvus non intellecto hoc, vel illo individuo corvi, ex quo nigredo corvi, quæ non est quid proprium, sed est accidens, quantumcumque sit inseparabilè causabitur ex principijs individui corvi: & quia potest intelligi corvus non intellectis principijs individui corvi: intellecto sic corvo, intelligitur sine habitudine ad nigredinem: propter quod poterit intelligi sub albedine. Sed corvus sic intellectus non erit ut habet esse actuale, quia hoc competit ipsis individuis, quæ per se principaliter dicuntur existere *in quibus omnia alia sunt; & eis destructis impossibile est aliquid aliorum remanere.* Et quod dictum est de corvo & albedine, veritatem habet de æthiope nitente candore: nam hujusmodi nigredo ex complexione causatur. Potest autem intelligi æthiops non intellecta tali inflammatione sanguinis, ex qua causatur talis candor: propter quod intelligitur æthiops sine habitudine ad nigredinem: quo intellecto sine hujusmodi habitudine poterit intelligi sub nitente candore.

cum quorū
contrario
intelligitur
subiectum,
ex cujus
principijs
individuis
fluunt cum
propria ex
principijs
speciei.

Quantum ergo ad ipsum actuale existere, non possunt esse accidentia in subiecto sine esse: quantum vero ad intelligi patet quomodo intelligi possunt sine esse,

QVOD VERO obiciebatur de creatione, quæ est mutatio, dicimus non

quod nec sit motus, nec mutatio: eo tamen modo, quo potest dici mutatio non est mutatio, quæ sit accidens; quia motus & mutationes sunt in eodem genere cum rebus, ad quas est motus, vel ad quas sunt huiusmodi mutationes.

Quod autem addebatur de materia, dicimus, quod multipliciter deficiat argumentum: quia factio substantiæ non est accidens: & etiam, quicquid sit de forma, nihil tamen potest esse sine esse; ita quod nec materia, nec aliquid aliud possit existere sine esse; est enim esse de ratione cuiuslibet essentiae creatæ, non simpliciter, sed ut est effectus agentis. Nam etsi potest intelligi essentia sine esse; impossibile tamen est quod aliqua essentia sit effectus alicujus agentis, nisi quia ei communicatur esse. Quod vero dicebatur tertio de humanitate Christi; dicimus, quod humanitas illa habeat quemdam modum accidentis: illa enim humanitas existit: non quoddam habeat esse sui generis, sed quia est in existente, id est, in supposito verbi. Sicut ergo unum accidens potest fundari in alio accidente, hoc tamen non erit sine esse, quia utrumque illorum accidentium præsupponit esse subjecti, Sic & in proposito: sed humanitas Christi quamvis non sit accidens; habet tamen aliquem modum accidentis. Propter quod accidentia poterunt fundari in huiusmodi humanitate: hoc tamen non erit sine esse: sed tam huiusmodi humanitas, quam accidentia fundata in ea sustentabantur per esse verbi.

QVÆSTIO IV.

QVODLIBETI VII.

Vtrum instans possit habere rationem plurium signorum?

Hanc questionem proponit Ægidius ut discutiat, an motus instantaneus vel in vacuo, vel aliàs, sit possibilis? & an, eo posito, non deberent de eo simul opposita prædicari? Vnde videri debet in commentarijs in I. I. Physicorum, ubi de motu, de vacuo & loco, de compositione temporis ex instantibus agit. de motu instantaneo videatur Gregor. Arim. 2. d. 6. qu. 3. a. 2. Capreol. q. un. mayron. d. 8. q. 2. maior 4. d. 49. qu. 8.

Conimbr. ph. 1. 6. c. 6. q. 1. De vacuo, & utrum in eo motus dari possit? & utrum foret instantaneus? vid. Gregor. supra D. Th. in 4. d. 44. q. 2. a. qu. 2. Scot. 2. q. 9. Albert. l. 4. ph. r. 2. c. 6. & 7. Conimbr. ibid. c. 9. q. 5. de tempore verò eiusque compositione ex instantibus, vel continuo: & an cuique motui suum tempus proprium correspondeat? vid. Conimbr. sup. c. 14. q. 1. & 2. ubi & varij citantur.

Ægidius verò hic ad propositam questionem respondet juxta ordinem initio textus posuit.



VARTO quærebat de mensuris rerum perfectarum, sive de ipsis instantibus; utrum instans posset habere rationem plurium signorum?

ET ARGVEBATVR quod sic: quia, ut dicebatur, instans in mensura est sicut punctus in linea: sed punctus in linea habet rationem plurium signorum; quia est principium unius partis lineæ, & finis alterius: ergo & instans.

Contra verò instans habet rationem ultimi: sed ultimum non dicit nisi unum signum: ergo &c.

Porro in pluribus signis potest aliquid esse & non esse; ut in uno signo potest esse, in alio non esse: si ergo idem instans posset habere rationem plurium signorum, in eodem instanti posset aliquid esse & non esse: quod est impossibile.

RESOLVTIO.

Cum non sit idem opposita esse simul, & esse in eodem instanti: & detur instans motus mensuræ propriæ & alienæ: si detur motus in vacuo, motum erit in eodem instanti mensuræ alienæ sursum & deorsum, non propriæ, nec simul: adeoque illud idem instans habebit rationem plurium signorum: cum sit principium futuri & finis præteriti; modo duplicem illam comparisonem plura signa velimus appellare.

RESPON-

quid, quo-
modo, &
quare tra-
ctandum?

RESPONDEO, dicendum, quod hæc quæstio videatur velle quætere; utrum opposita simul possint verificari? Ut quod possit verificari simul de aliquo esse & non esse. Propter quod sic procedemus in hac quæstione; quia primo ostendemus, quod nullo modo opposita possint verificari. Secundo declarabimus, quod non sit idem, opposita esse in eodem instanti, & esse simul; maxime si accipiatur instans non propriæ mensuræ: quia in instanti propriæ mensuræ idem esset. Tertiò descendemus ad id, quod principaliter quærit quæstio; videlicet, quomodo instans possit habere rationem plurium signorum?

PROPTER PRIMVM sciendum, quod aliqua sint opposita, quæ habent medium secundum formam; sicut contraria mediata, quæ habent formam mediam; quia inter duo talia contraria est dare formam mediam; ut inter formam albi, & formam nigri: sive inter formam, quæ est album, & quæ est nigrum, est dare formam quæ est pallidum, quod est medium inter album & nigrum.

Alia sunt opposita, quorum non est medium secundum formam: ita quod sit ibi aliqua media: sed secundum subjectum, etiam cum constantia subjecti: quia est reperire subjectum constants & existens in rerum natura, quod nec est hoc nec illud. Et huiusmodi opposita sunt contraria immediata, & maxime si sint talia contraria immediata, quod non sint generalia, sed determinent sibi subjectum aliquod, sicut sunt sanum & ægrum, quæ tanquam proprium subjectum circumcernunt corpus animalis: & sicut sunt iustum & iniustum, quæ tanquam proprium subjectum circumcernunt mentem rationalem, accipiendo rationale, largè, sicut & Angeli dicuntur esse rationales. Inter talia quidem non reperitur medium secundum formam; ut inter sanum & ægrum non reperitur forma media, quæ nec sit sanitas nec ægritudo, sed participet utrumque eorum; sicut medij colores participant album & nigrum: sed reperitur ibi medium secundum subjectum,

etiam cum constantia subjecti, quia reperitur aliquod subjectum constants & existens in rerum natura, quod nec est sanum, nec est ægrum; ut lapis. Eodem modo dicendum est de iusto & iniusto, & de cæteris similibus.

Aliqua autem sunt opposita, quæ nec secundum formam, nec secundum subjectum, cum constantia subjecti, habent medium: sed habent medium secundum subjectum, sine constantia subjecti; sicut sunt contraria generalia, cuiusmodi sunt bonum & malum, quæ, secundum philosophum sunt genera omnium contrariorum. Nam cum malum dicat privationem, accipiendo malum large, & cum qualibet duo contraria sic se habeant, ut unum dicat habitum, aliud privationem; unum est quid mobile, aliud ignobile: & quia semper privatio dicit quid ignobile respectu habitus, semper unum illorum habet à materia rationem defectus; & per consequens, aliquam rationem mali respectu alterius. Propter quod, accipiendo generaliter bonum & malum, nihil est, quod non possit dici, vel bonum vel malum. Igitur, nec secundum formam, nec secundum subjectum, accipiendo subjectum secundum constantiam, est dare medium inter bonum & malum: sed, accipiendo medium non secundum constantiam, sic est medium inter bonum & malum: quia de ipso nullo nec verificatur bonum, nec malum. Malum enim cum dicat privationem, & privatio dicat negationem non simpliciter, sed in subjecto, ideo probat *Aug. in Enchiridio, quod malum non nisi in bono esse potest: quia semper fundatur in aliquo subjecto, & in aliqua natura sive materia, quæ, secundum quod huiusmodi, quid bonum nominatur.*

Malum ergo & bonum, sumpta generaliter, non habent medium secundum constantiam subjecti: sumpta tamen specialiter, etiam cum constantia subjecti, possent habere medium: secundum quem modum loquitur *commentator in 10. metaphysicæ.* Quia vir heremita neque bonus est neque malus, quod intelligendum est de bonitate & malitia, non generaliter,

malum
semper di-
cit aliquam
privationem,
& quid
ignobile

hinc patet
quomodo
malum &
bonum
habeant
medium?

sed specialiter ; prout sumitur bonitas & malitia civilis , cum enim vir heremita non sit civitas , nec pars civitatis , nec est bonus , nec est malus secundum bonitatem & malitiam civilem.

Aliqua autem sunt opposita , quæ nec secundum formam , nec secundum substantiam cum constantia subiecti , nec sine constantia subiecti habent medium : huiusmodi autem sunt opposita contradictoriæ , quorum alterum etiam de ipso nihilo convenit verificari. Ideo in libro posteriorum illa propriè contradictoria dicuntur esse , quorum non est medium secundum se ; quia nullo modo inter talia reperitur medium. Quando igitur ad hoc deventum est , quod contradictoria sunt simul verificata vel falsificata (quia talia nullo modo habent medium , nec secundum verificationem , nec secundum falsificationem , nec secundum formam , nec secundum subiectum , nec secundum constantiam , nec secundum non constantiam) etiam penitus debet judicari illud impossibile , etiam Deo : non quod Deus sit in aliquo impotens ; sed quia nullo modo est possibile fieri ut contradictoria simul vera vel simul falsa sint ; Ideo dicitur in 6. *ethicorum* , & commendatur ibi Agathon asserens , quod hoc solo privetur Deus , ingenta facere quæ facta sunt.

Et hoc quantum ad primam partem quæstionis ; videlicet quod impossibile sit opposita , maximè contradictoria , esse simul sive vera , sive falsa.

DECLARATO Igitur , quomodo se habeant opposita adinvicem ? Quod scilicet non possint simul esse : volumus ostendere , quod non sit idem opposita esse simul , & in eodem instanti ; & maximè , si accipiatur instans non propriæ mensuræ : quia in hoc videbatur dubitare quæstionem proponens , quod in eodem instanti cogeremur dicere , quod aliquid ita esset & non esset : sicut si fieret motus in vacuo ; quia ille motus esset in instanti , in eodem instanti esset corpus , sic motum , sursum & deorsum : sed cum esset sursum non esset deorsum , & è converso : in eodem ergo instanti esset sursum & non sursum , & deorsum & non deorsum.

DICEMVS ERGO , quod , sit impossibile , fieri motum in vacuo secundum ordinem , quem videmus ; quia ille motus non reduceretur in motum cæli ; cum tamen nullum corpus possit moveri localiter , secundum ordinem , quem videmus , nisi motus ille reducat in motum cæli. Quia , ut vult *philos in princ. 8. physicorum ; init. motus cæli est ut vita subsistentibus* omnibus , quæ sunt natura in omnibus mobilibus ; mobilia enim dicuntur esse natura : quia quæ non sunt mobilia non sunt de consideratione naturali : & vult *Comment. motus cæli est quasi vita rebus mobilibus* : quia est quasi principium rebus vivis : ergo sicut impossibile est , esse vivum sine anima ; sic secundum ordinem , quem videmus , impossibile est aliquid corpus moveri hic inferiùs , quod non moveatur per influentiam cæli , & cujus motus causa non sit motus cæli : & quia , si aliquid moveretur in vacuo , ad illud non posset attingere influentia cæli ; quia illud mobile non attingeret cælum immediate nec mediatè , cum nullum esset ibi corpus medium , per quod cælum posset attingere tale mobile ; esset motus sine influentia cæli , & non causatus à motu cæli : quod est impossibile.

Tamen si hoc poneretur in esse , ubi ostenditur quod motus ille fieret in instanti secundum *Philosophi sententiam in 4. Phys.* quam credimus esse veram , in eodem instanti esset corpus illud , sic motum , sursum & deorsum : & per consequens in eodem instanti , ut dicebatur , etiam benè verificarentur contradictoria : quia sequeretur quod in eodem instanti corpus illud esset sursum , & non sursum : & deorsum & non deorsum : nec tamen propter hoc sequeretur , contradictoria simul esse ; cum enim illa sint contradictoria , quorum non est medium secundum se.

DICEMVS , id , quod generat difficultatem in proposito , esse , quod cum instans sit indivisibile , non possit esse , quod in indivisibili verificentur aliqua , nisi illa sint simul . imaginemur autem homines , quod debeat esse aliquid plus vel aliquid majus , in quo verificatur duo opposita , quam in quo verificatur alterum tantum . Si ergo ostendere poterimus , quod non oporteat esse aliquid

motus nunc
omnis re-
ducitur in
motum cæli
quod n. n
fieret in
motu facta
in vacuo

& contra-
dictoria
nullum?

2. ostendi-
tur, quomo-
do distin-
guantur,
esse simul,
& esse in
eodem in-
stanti?

ubi ostenditur quomodo eodem instanti tunc idem esset sursum & deorsum, & non simul?

aliquid majus, in quo verificantur duo opposita, quam in quo verificatur alterum: tum declaratum erit quod, si nihil aliud obstat, si in uno instanti potest verificari alterum oppositorum, poterit verificari & utrumque.

Vult *philos.* in 8. *physicorum*, quod si aliquid vadat de albo in nigrum vel de opposito in oppositum, quod per totum tempus est sub uno oppositorum, & in instanti quod compleatur ad illud tempus est sub altero. Duo ergo opposita, secundum ejus sententiam, possunt verificari in tempore & in instanti, quo completur illud tempus: & tamen tempus & instans non est aliquid majus, quam tempus tantum: sicut linea & punctus non sunt aliquid majus quam linea tantum. Si enim punctus faceret aliquid majus, tunc partes dividentes totum essent majus quam suum totum, quod est impossibile; cum totum æquetur omnibus suis partibus simul sumptis, & è converso. Divisâ itaque lineâ in plures partes, ubi erat unus punctus in potentia, fiunt postea duo puncta in actu: igitur si hujusmodi puncta facerent aliquid majus, illæ partes lineæ simul sumptæ essent plus, quam suum totum: non igitur requiritur aliquid majus ad verificationem utrorumque oppositorum, quam ad verificationem alterius tantum: sed requiritur quod sit ibi successio. Nisi enim instans succederet tempori, non possent duo opposita verificari unum in tempore aliud in instanti: inter quæcumque autem est successio illa non sunt simul. Itaque si in eodem instanti posset esse successio, posset esse quod contradictoria essent in eodem instanti; & tamen non essent simul.

Si ergo corpus moveretur in vacuo, ille motus non reduceretur in motum cæli: & ille motus mensuraretur tempore, quod est passio primi motus: sed tempus quod est passio illius motus diceretur fieri in vacuo; haberet enim ille motus suum proprium tempus: de quo tempore sic loqueremur, sicut loquimur de illo motu: & quia illud tempus componeretur ex mutatis esse, illud tempus componeretur ex instantibus. Cum enim vacuum non habeat naturam, unde resistat mobili: & tota

causa, quare requiratur tempus in motu gravium, sit resistantia mediæ; motus ille, quia fieret sine omni resistantia, componeretur ex mutatis esse: & quia cuilibet mutato esse respondet instans, tempus mensurans talem motum esset compositum ex instantibus: & quia si omnes puncti componantur nullam efficient magnitudinem, omnia illa instantia non valent plus quam unum instans. Motus ergo factus in vacuo esset successio mutatorum esse: & tempus respondens illi motui esset successio instantium.

CVM ERGO quæritur, utrum, si in eodem instanti corpus moveretur in vacuo, esset sursum & deorsum? Aur quæris de instanti mensuræ propriæ, aut de instanti mensuræ non propriæ, cujusmodi est tempus, quod est passio primi motus. Si de instanti mensuræ propriæ, non in eodem instanti erit sursum & deorsum, imo quot erunt ibi successiones mutatorum esse, tot erunt ibi successiones instantium: sed inter illa instantia non cadet tempus medium, sed succedent sibi immediate adinvicem, sicut & in tali motu, quia sit sine resistantia immediate adinvicem sibi succedent mutata esse. Sed si quæris de instantia mensuræ non propriæ, sic in eodem instanti erit corpus sic motum sursum & deorsum; quia omnibus illis instantibus non respondebit nisi unum instans in cælo.

Et ideo *philos.* vult quod motus in vacuo fiat in instanti loquens de instanti, quod respondet in cælo: quia si loqueretur de instanti mensuræ propriæ, non fieret in instanti, sed in instantibus: & quia potest esse successio absque eo, quod sit aliquid majus, erit successio inter instantia mensuræ propriæ: & non simul verificantur opposita; quamvis omnia illa instantia non sint quid majus quam unum instans. Duo ergo opposita esse simul in eodem instanti mensuræ propriæ est impossibile; quia tunc illa opposita essent simul. Et inde est quod quia in tota æternitate Dei non est nisi unum instans; si Deus nunc esset albus; & hinc ad mille annos fieret niger, simul esset albus & niger. Sed in eodem instanti mensuræ aliena esse

& motus ille compositus nescitur ex mutatis esse: & cum

instans sit dup. ex mensuræ propriæ & alienæ;

fiet in uno instanti posteriori non priori.

æternitas non est nisi unum instans.

cuius re-
spondent
omnia
tempora &
æva.

opposita simul non est inconueniens: cum uni & eidem instanti mensuræ alienæ possint respondere multa instantia & mensuræ propriæ: sicut uni & eidem puncto in linea continua possunt respondere infinita puncta in lineis intercisis, super uno & eodem puncto lineæ continuæ possent collocari infinitæ lineæ intercisæ, ad modum linearum procedentium a centro ad circumferentias: quo posito uni & eidem puncto in potentia in linea continua respondent infinita puncta in actu in lineis intercisis

sic uni in-
stanti in
cælo multa
instantia
morus in
vacuo.

Sic uni & eidem instanti in cælo possunt respondere infinita instantia in motu facto in vacuo. Qua ergo ratione si Deus nunc esset albus, & hinc ad mille annos fieret niger, esset albus & niger; quia toti instanti temporis non respondet nisi unum instans in æternitate: sic ex similitudine in contrarium, si in eodem instanti in cælo corpus motum in vacuo esset sursum & deorsum: non esset simul hic & ibi: quia illi uni instanti in cælo responderent multa instantia in mensura propria.

3. declara-
tur, quomo-
do unum
instans ha-
beat plura
signa?

quod com-
paratio vel
ad mensu-
rata, vel
mensuram:
idque vel
propriam
vel alienam

HIS ITAQVE prælibatis, volumus declarare tertium principaliter propositum; quomodo unum & idem instans possit habere rationem plurium signorum? Nam huiusmodi instans vel comparatur ad mensuram, vel ad mensurata: & si ad mensurata, vel hoc erit mensurata mensuræ propriæ, vel mensuræ alienæ. Si comparatur ad ipsam mensuram; sic habet, vel habere potest rationem plurium signorum, in quantum est principium huius, & finis alterius, ut idem instans respectu mensuræ propriæ id est respectu temporis, quod est sua mensura, quam efficit, habet rationem plurium signorum, quia est principium futuri & finis præteriti. Dicitur verò instans comparari ad propriam mensuram quando comparatur ad tempus & dicitur quod tempus sit proprius effectus ejus: quia instans motus dicitur facere tempus.

Instans ergo huius mensuræ, habet vel habere potest rationem plurium signorum, quia & punctus & linea habet vel potest habere huius rationem: quia si sit linea continua, & sit pun-

ctus in potentia semper habet rationem plurium signorum: vel si sit punctus in medio, semper habet rationem, quæ est principium unius partis lineæ, & finis alterius: sed puncta in lineis intercisis, vel puncta in principio & in fine lineæ: vel si essent puncta per se existentia, non haberent huiusmodi rationem plurium signorum. Sic & in proposito, instans in quo inceptit tempus, non habuit rationem plurium signorum: sed sic fuit principium futuri quod non fierit finis præteriti: & instans in quo finietur, sic erit finis præteriti, quod non erit principium futuri. Sic si tempus esset quid intercisum, quod inter duo tempora esset dare duo instantia, sicut in lineis intercisis inter plures lineas est dare plura puncta, sic nullum talium instantium haberet rationem plurium signorum: sed unum esset finis præteriti, alterum esset principium futuri. Eodem etiam modo si instantia facerent tempus, vel si mutata esse facerent motum (quod cogeremur ponere, si fieret motus in vacuo) tunc huiusmodi tempus non esset quid continuum; sed haberet se sicut numerus compositus ex unitatibus. Instantia ergo illa non essent continua: nec secundum quod huiusmodi essent ex continuis: sed essent componentes, sicut unitates componunt numerum: & quia partes numeri non copulantur ad aliquem terminum communem, non esset ibi dare aliquod tale instans quod esset communis terminus, vel quod haberet rationem duorum signorum; ut quod esset principium unius & finis alterius. Sic ergo dicendum est de instantibus ut comparantur ad mensuram.

SED VT comparantur ad mensurata, si illa mensurata pertinent ad mensuram propriam, tunc unum & idem instans potest habere rationem plurium signorum, non secundum esse, & esse: sed secundum esse & non esse; ut si ex albo fiat nigrum, non est dare instans, in quo ultimo est album & primo est nigrum: dabimus instans, quod sit ultimum albi secundum non esse, principium nigri secundum esse. Vnum ergo & idem instans comparabitur

rabitur ad album secundum negationem, & ad nigrum secundum affirmationem.

Hanc autem duplicem comparationem si velimus appellare plura signa, unum & idem instans habet rationem plurium signorum.

Hoc etiam modo unum & idem instans habet rationem plurium signorum respectu præteriti & futuri; non quod simul sit præteritum & futurum: sed quod in illo instanti eodem definat esse præteritum, incipiat esse futurum; sicut in eodem instanti definit esse album, & incipit esse nigrum.

Sed si comparatur instans ad mensurata non propria, sic instans possit habere rationem plurium signorum, etiam secundum esse & esse: quia si fieret motus in vacuo, in eodem instanti in cælo esset illud corpus sursum & deorsum: licet non in eodem instanti mensuræ propriæ. Patet ergo quomodo opposita comparantur ad motum? Et quomodo instans habeat rationem plurium signorum? Quod declarare volebamus.

QVOD VERO obijciebatur, quod instans habeat rationem ultimi; ideoque non possit habere rationem plurium signorum, patet quod sic habeat rationem ultimi unius, quod possit habere rationem principij alterius.

MEMBRVM III.

DE ENTE CREATO IN SPECIALI.

ROSTEA quærebatur de ente creato in speciali. Circa quod quærebatur dupliciter: primò de ente materiali, sive sensibili: secundo de ente rationali.

DISPVATIO

PRIMA.

De ente materiali sive sensibili.



IRCA ENS autem materiale sive sensibile movebatur triplex quæstio; una quomodo hujusmodi ens comparatur ad formam specificam, sive ad formam substantialem: & erat quæstio; utrum via naturæ posset generari, vel fieri nova species, quæ nunquam fuerit facta? Secundò quærebatur de hujusmodi ente per comparationem ad formam accidentalem, prout hujusmodi forma habet identitatem vel diversitatem specificam: & erat quæstio de intensione & remissione hujus formæ: utrum forma accidentalis intensa & remissa sit eadem specie? Tertio quærebatur de ente materiali & sensibili, prout comparatur ad formam intensam & remissam, quantum ad identitatem & diversitatem numeralem; utrum forma accidentalis intensa, & remissa sit eadem numero?

QVÆSTIO I

QVOLIBETI VIII.

Utrum viâ naturæ posset generari, vel fieri nova species quæ nunquam ante fuisset facta?

De productione novæ speciei mediæ in duas species nunc immediatas agit Ægidius quodl. 4. q. 5. de generabilitate vel ingenerabilitate cæli aut elementi agit l. de materia cæli, & l. de gen. & corrupt. ubi communiter philosophi de generationibus æquivocis passim, item in libris meteorum ubi de generatione cometarum &c. ceterum de generabilitate vel ingen. cæli vel element. vid. D. Th. 1. p. q. 66, a. 2. Mol. q. 9. a. 2. d. 2. Tan. c. 1. d. 6. q. 2. d. 5. cit. multis. Perer. in Gen. l. 2. q. 1. salmer. c. 1. prol. ult. Alb. mag. de 4. coævis q. 4. 2. 1. Tanart. de corp. elem. q. 22 & 23.

Ægidius verò hic primò distinguit inter corpora simplicia, & mixta: & illa dividit in cælum & elementa: cælum deinde ostendit omnino ingenerabile, & elementum secundum se totum, bene tamen secundum sui partem: mixta verò posse arte & casu secundum novas species produci.



AD PRIMVM sic procedebatur. Arguebatur enim quod posset viâ naturæ fieri nova species : quia posset aliqua massa congregari in aliquo loco; in quo nunquam fuit : & habere aliquem aspectum ad solem , quem nunquam habuit: quo posito posset aliquid novum fieri , quod nunquam fuit factum : & posset incipere nova species in universo.

IN CONTRARIVM est , quod dicitur *Ecclesiasta primò quod nihil sub sole novum : nec valet quisquam dicere , ecce hoc est recens ; iam enim præcessit in sæculis , quæ fuerunt ante nos : sed non est*, ut ibi dicitur , *priorum memoria*, videtur enim ibi velle , quod nihil fiat novum: & , si videatur aliquid esse novum, hoc sit, quia non est memoria quod fuerit aliquando, cum tamen fuerit,

RESOLVTIO.

Via naturæ fieri non potest nova species corporis simplicis bene tamen corporis mixti , si naturæ accedat ars , vel casus.

RESPONDEO, dicendum, quod fieri aliquam novam speciem in universo viâ naturæ, vel intelligatur de corporibus simplicibus, vel de corporibus mixtis. Si intelligatur de corporibus simplicibus, cuiusmodi est cælum , quod est non habens contrarium : vel est corpus elementale. Fieri autem novam speciem secundum corpora simplicia , hoc est, quod fieret novum cælum vel elementum est impossibile. Novum quidem cælum viâ naturæ fieri non potest : quia quodlibet cælorum constat ex tota materia sua : ut nec ipsum cælum possit corrumpi in aliud: nec aliud possit converti in ipsum, ut nullo modo , quantum ad motum , & formam , possit accidere novitas circa cælos : non ergo potest fieri novum cælum viâ naturæ.

Nec etiam novum elementum quantum ad speciem , vel quantum ad ele-

mentum totum, etsi secundum partem semper fiat novitas in elementis ut secundum hanc partem hoc elementum corrumpitur, & hoc elementum generatur : sed quod totum elementum generetur, vel quod totum corrumpatur, vel quod fiat novum elementum, quod nunquam fuerit ; ut quod fiat elementum aliquod , vel corpus aliquod , quod nec sit ignis, nec aer, nec aqua, nec terra, non est possibile.

QVOD quidem elementa secundum se tota non sunt generabilia, nec corruptibilia , patet ex probatione philosophorum , qui ostendunt, ea hoc modo esse perpetua. Sed quod non possit fieri novum elementum aliud ab istis quatuor, ostendit *philos. in 2. de generatione* ; cum enim elementa sint prima corpora in sphæra activorum & passivorum ; quia omnia alia corpora existentia in huiusmodi sphæra componuntur ex ipsis : oportet huiusmodi elementa velut prima corpora in sphæra activorum & passivorum habere in se duas qualitates , unam activam : & aliam passivam : aliter enim non essent prima in genere activorum & passivorum, nisi haberent in se duas huiusmodi qualitates. Hoc dicit ratio : & huic concordat sensus. Primæ enim qualitates sunt quatuor; duæ quasi activæ, ut calidum, & frigidum : duæ quasi passivæ, ut humidum, & siccum. Et hæc ratio concordat sensui, & sensus rationi, ut quodlibet elementum habeat huiusmodi qualitates, quia non solum ad hoc ratione inducimur : sed etiam sensibilibiter experimur.

DICEMVS ERGO quod, cum ad esse elementi requiratur duplex prima qualitas : & cum non sint nisi quatuor huiusmodi qualitates : solum sex modis combinari possunt : quarum combinationum quatuor sunt possibles, & duæ impossibiles : secundum ergo has quatuor qualitates solum quatuor elementa esse possunt. Erit enim una combinatio calidi & sicci, quæ competit igni : alia calidi & humidum, quæ aëri competit : tertia humidum & frigidum, quæ competit aquæ. Quarta frigidum & sicci, quæ competit terræ. Possent autem ijs quatuor com-

ex possibili-
bus combina-
tionibus prima-
rum qualita-
tatum.

distinguitur
corpus in
mixtum
& simplex,
& hoc in cælum
& elementum:

& primo
ostenditur
neg. de cæl.
lo.

de elemen-
to quoad se
totum.

combinationibus superaddi duæ combinationes, ut si combinaretur calidum cum frigido, & humidum cum sicco: quæ combinationes sunt impossibiles; quia opposita simul esse non possunt. Secundum has igitur quatuor qualitates combinationes possibiles sunt solum quatuor: propter quod non possunt esse nisi quatuor elementa.

& congruentibus.

Et hæc est ratio *philos. in loco præstignato* sumpta ex possibilitate combinationum. Potest tamen ad hoc idem alia ratio assignari, non solum ex possibilitate combinationum: sed ex opportunitate combinationum. Ideo enim dicimus, quod ad esse elementi concurrat duplex qualitas; prima activa alia passiva: quia elementa sunt prima corpora, non solum in genere activorum, sed etiam in genere passivorum. Datò ergo quod frigidum posset combinari cum calido, talis combinatio, positò quod esset possibilis, non esset operativa, nec congrua elementis: quia illud elementum solum haberet qualitates activas non passivas. Sic, etiamsi posset combinari humidum cum sicco, talis combinatio non esset opportuna nec congrua elementis: quia illud elementum non haberet qualitates activas, sed passivas: ergo tam ex impossibilitate, quam ex importunitate, sive ex incongruitate combinationum, non poterunt esse nisi quatuor elementa.

CVM QVÆRITVR ergo utrum posset fieri nova species, quantum ad corpora simplicia? Si hoc referatur ad ipsum quantum corpus, cuiusmodi est cælum, patet hoc non esse possibile: quia ibi non est motus quantum ad formam: & illud non patitur aliquam perigrinam impressionem, nec aliam novitatem secundum formam. Si vero referatur ad elementa, patet hoc etiam non esse possibile. Nam fieri novum elementum, quod nunquā fuit, dupliciter potest contingere: vel quod à principio non erant nisi tria elementa, & sic fuit factum novum elementum; quia incepit esse elementum quartum. Vel si non erat nisi unum, aut duo, incepit esse talis novitas, quia incepit talia de novo esse: & hoc via naturæ ut quærebat quæstio, est

impossibile: quia viâ naturæ, & secundum hunc ordinem, quem videmus, quodlibet elementum, secundum se totum, est ingenerabile & incorruptibile.

Habent enim elementa quandam adæquationem secundum suas virtutes: & si unum elementum habet dominium super aliud, hoc est ex aspectu supercælestis corporis; ut ex aspectu signorum calidorum elementa calida habent dominium super frigida, & ex aspectu frigidorum frigida super calida, & quia cælum orbiculariter circumdat terram & movetur circa ipsam: propter hoc in una parte dominantur signa frigida; in alia dominantur calida: vel si in uno tempore dominantur frigida, in alio dominantur calida; ut nunquam totaliter frigida dominantur super calida, nec è converso. Propter quod nunquam totaliter possunt corrumpi talia elementa: sed totum reducitur ad circulum; & quia ipse motus cæli est circularis: hinc in hac parte habent dominium frigida, in illa calida: & postea frigida: & è converso. Cùm ergo viâ naturæ quod non est corruptibile non sit generabile; sicut viâ naturæ non potest corrumpi totaliter aliquod elementum, quod non remaneant nisi tria, vel etiam pauciora; ita viâ naturæ non poterit generari de novo aliquod elementum, ut cum non essent nisi tria, vel pauciora, fierent plura elementa. Secundum partem igitur sunt talia corruptibilia & generabilia: non autem secundum se tota. Posset autem virtute divina hoc fieri, quod unum elementum secundum se totum mutaretur in aliud, vel generaretur ex alijs; non autem secundum naturæ cursum. Rursus non est etiam possibile, quod, existentibus quatuor, fiat quantum de novo, vel sextum: quia, ut ostensum est, non sunt possibiles, nisi quatuor combinationes qualitarum primarum; propter quod non possunt esse nisi quatuor elementa.

unde fiat unum elementum dominari super aliud?

VI. SO, QVOMODO non possit fieri nova species via naturæ, quantum ad corpora simplicia restat videre; utrum possit hoc fieri, quantum ad mixta? Dicemus quidem, quod corpora

3. ostenditur de corpore mixto.

quod divi-
ditur in
perfectæ &
Imperfectæ
speciei: &
distinctio-
nis ratio
assignatur

pora mixta perfecta, & potissimè animalia perfecta, viâ naturæ nullo modo patientur novam speciem. Nam illa dicuntur animalia perfecta, quæ possunt sibi simile generare. Talia autem nunquam fiunt nisi à sibi simili in specie: secundum quem modum loquitur philosophus in 2. *physicorum*; quod homo generat hominem ex materia, & sol: sic equus generat equum ex materia & quodlibet aliud perfectum in virtute solis, sive in virtute supercelestis corporis, generat sibi simile in specie. Ita quod si non præcederent similia specie nunquā esset generatio talium: & quia nunquam generantur talia, nisi præcedentibus similibus in specie, nunquam potest fieri in eis nova species.

In talibus equidem determinata est natura, ut unus sit modus in eis communicandi naturam. Quæcumque enim animalia ab animalibus, non per putrefactionem, sed per generationem fiunt, non nisi uno modo fieri possunt.

quod secun-
dum prio-
rem non
possit bene
tamen se-
cundum
posteriorem
& ostendi-
tur cur mu-
lus etsi non
generent.

Et inde est quod quæcumque ex commixtione diversorum animalium generantur nunquam generent: ut mulus, qui fit ex equo & asina, nunquam generat, & mula nunquam in ventre portat: sed ambo sunt steriles. Si enim mulus vel mula ex se generarent, vel generarent mulum, vel non mulum. Non potest dici quod generarent mulum: quia tunc mulus fieret dupliciter, ab asino & à mulo; vel ab equa & à mula: dictum autem est, in talibus unam naturam uno modo communicari. Nec etiam dici posset quod generarent non mulum: quia tunc agens non assimilaret sibi passum: quia non est dare medium inter mulum & non mulum: relinquitur ergo tales bestias esse steriles. Ipsa enim sterilitas earum, quam sensibilibus videmus, ducit nos in hanc veritatem, quod in talibus non nisi uno modo natura communicetur. Quæ ergo fiunt à sibi simili in specie viâ naturæ non possunt aliter fieri, nisi præsupposito animali similis speciei: propter quod nunquam in talibus poterit de novo species alia generari.

idque per
artem vel
casum.

SED SI loquamur de animalibus imperfectis, ut de eis, quæ non generantur ex similibus sibi in specie:

nec generant sibi similem speciem, dicemus, quod ad generationem talium operari possit ars & casus. Ars quidem, quia ex arte & industria humana est inventum, quod fiat mulus ex asino & equa: sic etiam ex industria humana possent aliqua alia animalia diversa conjungi & facere tertium animal. Casus autem operatur in talibus: quia possunt aliqua causaliter conjungi, in quibus casualiter resularet aliqua putrefactio; propter quod casualiter contingeret, inde aliqua generari.

Sic ergo distinguit philosophus de natura & arte in 7. *metaphysica*. Quod aliqua fiunt à natura, aliqua ab arte, aliqua partim à natura & partim ab arte. Sic etiam possumus distinguere de natura & casu: quia aliqua fiunt à natura, aliqua à casu, aliqua partim à natura & partim à casu. Sed licet hæc distinctio sit trimembris, quantum ad perfectibilia generaliter: non autem potest esse nisi bimembris, quantum ad ipsa generabilia, in quibus communicatur ipsa natura & substantialis forma: non enim talia possunt fieri solum ab arte; quia nunquam per artem tantum inducitur nisi forma accidentalis: nec possunt talia fieri solum à casu; quia secundum *Commentatorem*, quod facit semen in ijs, quæ fiunt ex semine, facit putrefactio in ijs, quæ fiunt ex putrefactione. Sicut ergo non ex quolibet semine generatur quodlibet animal: sed ex determinato semine determinatum animal; sic non ex qualibet putrefactione generatur quodlibet tale animal; sed ex determinata putrefactione determinatum animal: & quia quæ sunt à casu, secundum quod hujusmodi, indeterminata sunt, & quia in talibus semper est aliqua determinatio, impossibile est ea esse simpliciter à casu. Non ergo erunt talia à casu simpliciter ratione determinationis: nec ab arte simpliciter, ratione formæ substantialis: sed vel erunt à natura non cooperante arte: vel erunt à natura cum aliqua cooperatione artis: & sicut possunt esse à natura cum cooperatione artis, sic possunt esse à natura cum interventione casus. Vnde dicit philosophus in 12. *metaph.* quod fortè fiunt per se & à casu aliqua

aliqua, quæ generantur ex putrefactione. In talibus autem potest intervenire casus, quantum ad congregationem activorum & passivorum: sed oportet quod ibi interveniat quod est necessarium, & per se: quia non nisi ex determinata putrefactione potest fieri determinatum animal.

Dicamus igitur quod naturalem inclinationem habeat masculus ad feminam ejusdem speciei, ut columbus ad columbam, equus ad equam: propterea generationem in talibus simpliciter possumus attribuire naturæ: quia etsi concurrat ibi appetitus, hoc erit ex quadam inclinatione naturali. Similiter in ijs, quæ fiunt ex putrefactione, ubi naturale est, ut recitat *commentator in 12. metaph.* quod ex carnibus bovinis generentur apes, & ex vino corrupto muscilioes: & quia naturale est quod fiat corruptio circa carnes bovinas, & circa liquorem vini, talia etiam possumus attribuire naturæ: sed quando fit commixtio animalium diversarum specierum, ibi potest cooperari ars: & quando fit putrefactio ex commixtione diversorum, quæ casualiter conjunguntur, in talibus habet intervenire casus.

CVM ERGO quæritur; utrum viâ naturæ possit nova species fieri? Si referatur hoc ad corpora simplicia patet quod non: si hoc referatur ad corpora mixta, sive hujusmodi mixta fiant per generationem, vel per putrefactionem, vel quomodolibet aliter, si talia sic fiant à natura, quod non cooperetur ibi ars, nec interveniat ibi casus; quia illa determinata sunt, & determinato modo fiunt; non poterit in eis nova species incipere: sed si cooperatur ibi ars vel interveniat ibi casus, non est inconveniens, novam speciem, in talibus incipere: quia sicut per industriam artis inventa est generatio muli ex asino & equa, sic per artis industriam possent diversa animalia conjungi, unde posset nova proles oriri, cujus non præcesserat simile. Sic si interveniat ibi casus, non est inconveniens ex conjunctione aliquorum casualiter alicujus speciei generationem fieri, quæ nunquam facta fuerat.

QVOD VERO arguebatur; quodd nihil novum sit sub sole, intelligendum est de ijs, quæ fiunt naturaliter, ubi non cooperatur ars, nec intervenit casus. Vel intelligendum est; quodd nihil novum sit, quod non fuerat, vel in se, vel in suis causis. Vel dicendum est quod ibi *Salomon* loquatur ut concionator, qui induit personam non sicut exprimens veritatem: sed sicut exprimens vulgi sententiam.


QVÆSTIO II.

QVOD LIBETI IX.

Utrum forma accidentalis intensi & remissi sit eadem specie?

De intensioibus formarum agit *Ægidius 1. de gradibus formarum*, & ex occasione citatis in primis d. 17. p. 2. pr. 1. q. 1. a. 1. *Greg. q. 5. Arg. q. 2. a. 2. Alph. q. 3. a. 2. Gerard q. 2. a. 9. D. Th. 2. 2. q. 24. a. 5. & in 1. d. 17. q. 2. cum suis scotus 1. sent. d. 17. q. 3. etiam cum suis Durand. Aureol. 2. 2. Occan. q. 6. & de intensioe omnium formarum suar. d. 40. metaph. l. 1. Hurt. d. 5. f. 4. Comib. 1. de gen. c. 4. q. 2. a. 1.*

Ægidius verò hic eam quæstionem resolvit juxta partitionem introitus textus ponendam.



ECVNDQ querebatur de ente sensibili, sive de ente materiali per comparisonem ad formam accidentalem, secundum identitatem & diversitatem

speciei, & erat quæstio; utrum forma accidentalis intensi & remissi sit ejusdem speciei?

ET ARGVEBATVR quod non, quia motus non fit nisi de contrario in contrarium; cum ergo fiat motus de intenso ad remissum, & è converso, erit in talibus contrarietas: sed quæcumque sunt contraria differunt specie: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quia, ut dicebatur, materia extensa, & non extensa, non dicitur aliam essentiam materiæ: ergo qualitas intensa & non intensa non dicunt aliam naturam